



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Dei Immortalis In Corpore Mortali Patientis Historia

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1694

Caput XIII. De duobus Latronibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49178](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49178)

## CAPUT XIII.

## De duobus Latronibus,

## §. I.

*Increpatur malus latro à bono.*

**C**Um jam medius inter cœlum & terram, ipse ille qui in principio creavit cœlum & terram, in ferali pegmate sublimis, in cruce esset suspensus, omnium animos suspensos detinebat maximâ maximarum rerum expectatione. Nemo enim dubitabat, quin is, qui vitam tam admirandam duxerat, in vitæ actu ultimo, quis, qualisve foret, palam omnibus declararet. Profectò quis, qualis, quantusque is esset, toti mundo manifestè aperuit, dum incomprehensibilia sua judicia, & investigabiles vias circa duos latrones prodidit: unum assumendo, alterum relinquendo. In hac autem inscrutabilis judicij caligine, dabunt nobis lucem verba D. Lucæ:

*Luc. 23.  
39.*

*Vnus autem de his, qui pendebant, latronibus, blasphemabant eum, dicens: Si tu es Christus, salvum fac te ipsum & nos.*

O maledictum verbum maledicti oris, in opprobrium illius, qui est Verbum Patris? *Si tu es Christus?* Ergò an sit Christus, dubitas? Jam quòd sit Christus, denegas. Non te, ut illum Christum confitearis, movet ipsius singularis inter tot injurias modestia; inter tot contumelias, taciturnitas; tanta inter tantas pœnas patientia; testatissima ejus inter tot vanas criminationes innocentia?

ria: Jam abnegasti Christum, dum vel ambigis an sit Christus. Quid tu, ô latro, qui pendes à dextris Dei, ad hæc tam sinistra socij tui verba? Hæc lentus audis, & files? Si files, profectò jam socio tuo consentire censeberis. Cùm alter latro hæc tam incesta intemperantis linguæ verba percepisset, totus piâ ardere in socium olim culpæ, nunc pœnæ iracundiâ, & è sua furca, velut è machina, in eum tonare, ac fulminare: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es? Et nos quidem iuste: nam digna factis recipimus.* Quasi diceret? Quid justius? Commisimus sæpè latrocinium, patimur suspensum; abstulimus alijs vitam, condemnatur ad mortem; post plurimas, quas egimus, prædas, sustollimur in furcas. *Digna ergò factis recipimus,* O quàm pauci, post non pauca commissa crimina, se cum hoc latrone ut criminis reos accusant: quàm multi, quàm multis se ut criminis puros excusant! Cùm rogaretur Adam, cur Dei violâset præceptum, culpam rejecit in Evam: cùm quæreretur ab Eva, accusavit serpentem. Sic à patre nostro hausimus peccatum, à matre excusationem peccati: nec sufficit esse malos; volumus etiam audire boni. Sic quisque peccator à peccato se excusat: quòd nimirum vel dæmon eum seduxerit, vel amicus exoraverit, vel caro pellexerit, vel infirmitas coëgerit: adeò ut quisque sit pejor propè excusatione sceleris, quàm commisso scelere. Egregiè sic se excusantes accusat, imò condemnat D. Ambrosius exponens illa verba: *Cùmque se cognovissent nudos, consuerunt folia ficus.* Iacit super se folia, qui culpam velare desiderans, aut diabolum delicti memorat auctorem, aut carnem præterdit illecebras, aut alium quempiam per suasorem prodit erroris: & de Scripturis divinis prodit exem-

Excusant plerique sua scelera.

Lib. 1. de  
Paradiso  
c. 13.

pla, quibus iustos in culpam perhibet incidisse, dicens: *ſi forte in ſuppris fuerit deprehenſus: Et Abraham cum ancilla concubuit: & David alienam adamavit, & ſibi adſcivit uxorem.* Non ſic latro, qui cum ſe accuſaret de peccatis, digniſſimus fuit, cui Chriſtus peccata remitteret: Iua enim peccata confeſſus eſt, non ut nos, privatim in templo, ſed publice in monte Calvaria; non in ſacro tribunali, ſed in cruce; non clam, ſed palam; non uni, ſed pluribus; non modeſtè muſitando, ſed altè clamando; & Chriſtum agnovit Redemptorem, & ſe peccatorem. Ergone Chriſte ad praedicandam tuam patientiam, ad extollendam miſericordiam, ad laudandam bonitatem, ad tuendam innocentiam, non habes aptiorem oratorem quam latronem? Rectè: cum enim in mundum veneris propter peccatores, cum peccatoribus manducaveris, cum peccatoribus converſatus fueris, & cum peccatoribus, ac pro peccatoribus moriaris: quinam tuam poſſunt aptius efferre miſericordiam, quam exhibes peccatoribus, quam miſeri peccatores? Me eſſe peccatorem, licet ipſe inficiarer, argueret me mater mea: *Quia in peccatis concepit me mater mea.* Nec ſic tamen à te fugio, ſed ad te vel idèd confidentiùs fugio, quia peccator ſum: tu enim es, de quo dictum eſt: *Hic peccatores recipit.* Recipe me hìc priùs in gratiam, dein in gloriam.

*Pſal. 50.*

*Luc. 15. 2.*

§. II.

*Teſtatur latro Chriſtum innocentem.*

*Mat. 24.*  
*40.*

**C**Hriſti eſt eſſatum: *Duo erunt in agro: unus aſſumetur, & unus relinquetur.* Hìc autem duo ſunt in cruce, duo ejuſdem criminis rei, duo ejuſdem ſupplicij participes, duo Chriſto aequè vici-

vicini, duo ejusdem ut culpæ, sic pœnæ confor-  
tes: & ecce, unus assumitur, & unus relinquitur.  
Cur ita Christus fecerit, noluit Deus nos intelli-  
gere, & ideò nefas est nos hoc inquirere. Cùm  
ergò investigare non liceat, cur Deus sic fecerit,  
sufficit scire quòd fecerit. Sed audiamus prius  
historiam, antequam miremur historiæ even-  
tum. Vix se & socium accusaverat mali latro bo-  
nus, cùm eructavit cor ejus verbum bonum;  
cùm hæc diceret de eo; qui solus est bonus. *Hic  
verò nihil mali gessit.*

Quid audio? *Hic nihil mali gessit?* Ergòne inju-  
sta est Synagoga? Erravit Pilatus? Argues An-  
nam & Caipham? Accusabis Scribas, Rabbinos,  
Pharisæos, magna illa Synagogæ oracula? tu con-  
demnabis omnes Sacerdotes? Dices iniquum es-  
se summum Pontificem? Tu totam criminis in-  
simulabis Hierosolymam? Tu totus natus es in  
peccatis, & in peccatis morieris, & æquissimos  
mundi iudices judicabis? *Hic nihil mali gessit.* Sile:  
blasphemias, dum hunc malefactorem exculas.  
Una est totius Synagogæ, imò Jerosolymæ vox:  
*Reus est mortis. Hic nihil mali gessit.* Audiat Oriens,  
audiat Occidens; audiat cælum, audiat terra; au-  
diant Judæi, audiant Gentiles; audiat tota rerum  
Universitas: *Hic nihil mali gessit.* Diceres hîc loqui  
non latronem è patibulo, sed Doctorem in pul-  
pito. Ubi estis Scribæ, Principes Sacerdotum,  
Pontifices, qui totam ætatem teritis legenda  
Prophetas, & evolvendo Scripturas? Hic latro  
in vestra Synagoga nunquam fuit discipulus, &  
tamen tradit rectè judicandi disciplinam. Hic li-  
teras nunquam didicit, & tamen vos literatos ut  
Magister docet. Vos in Christum blasphematis,  
hic blasphemantes corripit; vos eum de varijs

criminibus accusatis, hic omni eum crimine absoluit, dicens: *Nihil mali gessit.* O virum dignum inter paucos eligi, qui Christum inter tam multos reprobos autus est innocentem profiteri. Apostoli fugiunt, discipuli latent, omnes ejus amici tacent. Judæi illudunt, Romani crucifigunt; totus mundus eum condemnat; unus latro illum absoluit. Accusat omnium malitiam, dum unius excusat innocentiam. Quid potuisset plus dicere sedens ad dexteram virtutis Dei, quam jam pendens à dextera Filij Dei? Ubi es nunc Petre, & Iacobe? Vos illum vidistis in monte Thabor fulgentem gloriâ instar Solis, vestes ejus albas instar nivis, & tamen jam timidi lateris, infidi fugitis, & tantum non fide excidistis. Hic autem non videt ejus gloriam, sed ignominiam; non fulgentem instar Solis, sed morientem instar abjectissimi vermis; videt eum non candidum instar nivis, sed rubicundum instar sanguinis; totum lacrum, cruentum, lividum, squallidum, tamen agnoscit eum summum Dominum, veneratur ut Regem, adorat ut Deum. Optimum Christi Confessorem, Martyrem, Apostolum! O Iesu, memineris hic Verborum tuorum; dixisti, & promissisti: *Omnis qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in caelis est.* Confessus est hic latro coram hominibus blasphemantibus, conspuentibus, crucifigentibus: confessus est, & non negavit sicut Petrus: confessus est, & non prodidit sicut Iudas: confessus est, & non siluit sicut Ioannes: confessus est, & non blasphemavit sicut alter latro: confessus est audacter, intrepide, confidenter, te esse Dominum, & Regem, te nihil mali gessisse. Qui ergo con-

*Matt. 10.  
22.*

confessus est coram hominibus in mundo, te nihil egisse mali, quid non debet coram Angelis in Paradiso expectare boni? Vere bonus es latro, furaris etiam dum moreris, prædas agis, dum animam agis, violentus rapis cælum, actus in patibulum crucis. Nobilis profecto latro, qui post latrocinium invadit Paradisum. O melatronem, sed non bonum, quia dico multum te egisse mali. Toties te profiteor gessisse aliquid mali, quoties ego sum malus. & offendo te, qui solus es bonus. Nihil tu gessisti mali: testimoniū est latronis, & scio quia verum est testimonium ejus. Si possent testimonium de te perhibere muta & inanima, dicerent cum latrone: *Nihil mali gessit*; dicerent cum Judæis: *Bene omnia fecit*. Solum diurno, luna cum nocturno mundum illustrat jubare, stellæ dum scintillant, ignis dum ardet, terra cum stat, aqua dum fluit, arbores dum germinant, agri dum florent, pisces dum natant, aves dum volant, serpentes dum repunt, omnia hæc stentoreâ voce clamant: *Hic nihil mali gessit*: *Luc. 23. 1*  
*Bene omnia fecit*. Hæc est vox totius universi, omni tubâ clarior. Vos Scribæ, & Pharisei, qui toties scrutamini Scripturas, invenietis in ipsa prima pagina Scripturæ scriptum digito Dei: *Viditque Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona*. Quis est ille Deus, nisi idem ille qui in Concilio vestro interrogatus: *Tu ergo Filius Dei es? Et respondit: Ego sum*. *Mat. 21. 41.*  
Hic est Deus, quem vos crucifixistis, & non est alius præter ipsum. Si ergo vidit cuncta quæ fecerat, & erant valde bona; verus est sermo quem dixit latro; *Hic nihil mali gessit*. Tamen ubi omnia dicunt: *Bene omnia fecit*, solus dicit te aliquid gessisse mali, in quem omnia contulisti bona homo, pro quo tu factus es homo. Verum tu, qui

*Luc. 23. 1*

*41.*

*Mat. 7.*

*37.*

*Mat. 21.*

*41.*

Ioan. 18.

2.

qui nihil mali gessisti, malos male perdes. Quare oro cum Ecclesia, ego indignus Ecclesie filius: Recordare Iesu pie quod sim causa tua via, ne me perdas illa die: ut possis dicere de hac turba, quod olim de exiguo Apostolorum grege, Non perdidisti ex eis quemquam.

## §. III.

## Oratio boni latronis ad Christum.

Deut. 21.

23.

Gal. 3. 13.

Cesset jam veritas oraculi tui, ô Moyses: Maledictus omnis qui pendet in ligno: quando qui malè vixerat, latro, benedictus est ab illo, qui pro nobis factus est maledictum, per illud in quo pependit lignum, obtinuit Regnum, numquam fortunatior, quàm in hoc suo infortunio: servatus est pereundi occasione. Qui ubique fuerat vagus, ubi profugus; fixus fuit in cruce, ut inveniretur à Deo crucifixo. Dei absolutus est in foro, statim ac damnatus est in suo. Dicendo Christum nihil gessisse mali, jam desierat esse malus, supererat ut inciperet esse bonus. Hoc jam agit. Quare postquam increpauerat blasphemantem socium, Christum agnoscit suum Dominum, dicens: Domine memento mei, cum veneris in Regnum tuum.

Ps. 144.

13.

Ps. 24. 16

Scio te Regem esse, tametsi non videam nisi spineum in vertice sertum pro corona, patibulum pro solio, sanguinem pro murice, clavos pro gemmis, pro palatinis, duos latrones: tamen Rex es tu. At Regnum tuum non est de hoc mundo: sed Regnum tuum, est Regnum omnium seculorum: est Regnum, cuius nullus est finis. Cum veneris ad illud regnum, memento mei. Ah Domine, respice in me, & miserere, quia unicus, & pauper sum ego.

ego. Ignosce Domine, quòd enim tuum implò-  
 rem patrociniũ, non est audacia, est fiducia. *Memento mei*, quia tu me creasti. *Memento mei*, quia  
 me redemisti. *Memento mei*, quia me illuminasti,  
 quia apud te pendeo, quia in te credo, quia in  
 te confido, quia in neminem, nisi in te spero. O  
 Auctor vitæ! vita mea! ô vita vitæ meæ! *Memento*  
*mei* tecum morientis. Plus apud te valeat sanguis  
 ille tuus, quem hodie pro me effudisti, ut memi-  
 neris, quàm scelera omnia mea, ut mei obli-  
 scaris. Ambo ut fures condemnatur, ambo ut  
 malefactores crucifigimur, ambo ut latrones  
 morimur: quare Domine *Memento mei*, ut qui u-  
 nà abimus è mundo, unà abeamus ad cœlum, ut  
 qui sum socius pœnæ, sim & socius gloriæ, ut qui  
 te agnovi Dominum in ligno, videam & Domi-  
 num in Regno. O Domine, exaudisti orantem  
 Jonam in ventre ceti, Daniele in lacu Leo-  
 num, Josephum in Ægyptiatico carcere, Jere-  
 miam in obscuro specu, & me juxta te, me con-  
 fidentem in te, me in cruce tecum morientem  
 non exaudies? Ecce jam oculi mihi franguntur,  
 vultus pallet, sudor erumpit, cor palpitat, lingua  
 silet, spiritus deficit, vires fatiscunt, mors immi-  
 net, anima egreditur, jam morior: ah! Domine,  
 Deus totius consolationis, in tantis angustijs, in  
 tam lubrica arena, in tam ancipiti tramite, in  
 hoc extremo angore, hæc sint mea ad te extrema  
 verba: *Domine memento mei*. Attende quis ea locu-  
 tus est? Latro. Cui? Christo. Ubi? In Cruce. quan-  
 do? Jam moriens. Prodeant omnes fures, & cum  
 hoc fure conferantur, inveniemus hunc omnium  
 furum fuisse principem. Enim verò dum alij fu-  
 rantur, vitam amittunt; hic verò furando vitam  
 accipit. Discite hîc à latrone non latrocinium,  
 sed

Oratio  
 bonila-  
 tronis  
 ad Chri-  
 stum.

Hom. de  
Cruce &  
Latrone.

Quanta  
sit Dei  
oblivio  
inter  
homi-  
nes.

Ier. 2. 32

Ps. 8. 5.

sed reſte moriendi magiſterium. Vis per com-  
pendium tendere ad cœlum? Confuge læpe ad  
Crucis lignum. Audi Chryſoſtomum; *Iſte latro de  
ligno mercatur ſalutem, furatur cœleſte imperium. Re-  
ſte mercatur ſalutem. Quo pretio? Non prolixâ,  
ut Eremicolæ, inediâ; non ut Confellores, lacry-  
mis, ſuſpirijs, cilicijs: ut non Virgines, perpetuâ  
contra libidinem luſtâ: non ut Religioſi, pau-  
pertate, caſtitate, obedientiâ: non ut Martyres,  
igne, rotis, equuleo, gladio. Quo ergò pretio?  
Paucis verbis. Dixit ultimo prope vitæ momen-  
to, ſemel memento, & ecce fruitur paradifo. Sed  
ſi vis Deum meminiffe tui, tu quoque memineris  
meminiſſe Dei. Tu vis Deum meminiffe tui in  
morte, & ſemper obliſceris illius in vita. Dum  
jaces æger in lecto; dum veniſti in altitudinem  
maris, & tempeſtas demerſit te; dum anguſtiæ  
tibi ſunt undique, clamas: *Domine memento mei.*  
Interimurgiſ mane, ſtudes de die, comediſ in  
meridie, cœnas veſperi, quieſciſ in nocte, & nun-  
quam memor es Dei. Nullum eſt momentum,  
quo tibi non invigilat Dei Providentia, quo non  
defendit Dei Potentia, quo non ſervat Dei mi-  
ſericordia, quo non amat te Dei bonitas, & ta-  
men tot inter beneficia nunquam memor es Dei.  
Hoc eſt quod conqueritur Deus ore Jeremiæ:  
*Populus meus oblituſ eſt mei diebus innumeris. Ah Do-  
mine! non dicam cum latrone: Memento mei, ne  
fortè memineris iniquitatum mearum, & dete-  
ſteris me. Ne memineris mei. Quid enim eſt homo  
quòd memor es ejus? Memento ergò non mei, ſed  
tui. Cùm oblituſ fuero ſalutis meæ, memento a-  
moris erga me tui; memento ſanguinis tui pro  
me fuſi; memento doloriſ tui, quem ſuſtinuiſti  
coronatuſ ſpinis; memento cruciſ tuæ, quam pro  
me**

me tulisti; memento mortis tuæ, quam pro me confixus clavis obivisti. Horum memento: nec enim potes meminisse tuî, & oblivisci meî, quia in manibus scripsisti me, imò & in medio cordis tui. Non potes meminisse te esse mortuum, quin simul occurrat ille, pro quo mortuus es. Hoc ergò unum, nec pluribus opus est, à te peto vivens, & petam moriens, ut sum particeps regni tui: *Domine memento mei.*

## S. IV.

*Christum latroni promittit paradisum.*

**A**Udivimus latronem, non jam latronem, sed Cæli prædonem, Christi præconem, Crucifixi confellorem, è patibulo velut è pulpito; pro se paucis, sed nervosissimis verbis laconicè perorantem: inquiramus an etiam petotando exoraverit. Importuna quibusdam videri posset hæc latronis oratio, si spectas & illum qui petit, & tempus quo petit. Qui petit, est vir sanguinum, cui unum fuit per totam vitam negotium, exercere latrocinium: verè servus nequam, inveteratus dierum malorum. Is nullâ præmissâ vel antequam petat, præfatione; vel cur petat, excusatione; vel ut possit petere, obtestatione, audacter sine fronte, inverecundè sine reverentia dicit: *Memento mei.* Vix meminit sibi ad crucem adstantis Matris, & scilicet, meminerit latronis? Dixisset hic Christus non immeritò, quia merenti, illud Davidicum: *Viri sanguinum declinate à me.* Dicat Ps. 138. Mater ejus; dicat discipulus, quem ille diligit; 19. dicat Magdalena, quæ lacrymis lavit pedes ejus; dicat Petrus, qui ejus gratiâ reliquit omnia, & secu-

securus est eum: *Memento mei.* Sed tū latro? De-  
 indē, omnia tempus habent: non tunc erat tem-  
 pus petendi à Christo, cūm Christus extrema in-  
 ter extremas angustias in corpore & in anima  
 jam moriens patiebatur. Quæ est illa impruden-  
 tia, ne dicam impudentia? vides illum jam nunc  
 mori, & cupis illum tibi loqui? Quid hîc dicam?  
 Nescio quid hîc fiet. Quid factururus es, ô Christe?  
 fassus est te nihil gessisse mali; se nihil gessisse bo-  
 ni. Quid hîc ages? sines illum perire? obstat tua  
 misericordia. Statim illum salvabis? opponet se  
 tua iustitia. Qui enim aliquid fecit boni, meritò  
 expectat præmium: qui etiam multum fecit ma-  
 li, non immeritò timet supplicium. Absolvere  
 illum debes, quia ritè confessus est; & quidem  
 tibi summo Pontifici. Christus ergò, cui sufficit  
 verbum, dum quis moritur, vel unum, ut obli-  
 scatur operum malorum, dum vixit, etiam om-  
 nium: illum sic confitentem ab omni vinculo ex-  
 communicationis, ab omni non tantum culpa,  
 sed pœna, impertiens illi plenariam indulgen-  
 tiam, per modum Jubilæi, absolvit, dicens hæc  
 optatissima verba, quæ ipsi erant quasi Pontificia  
 Bulla: *Amen dico tibi, hodie mecum eris in Paradiso.*  
 Quia hodie vocem meam audivisti, nec obdura-  
 sti cor tuum; *hodie mecum eris in Paradiso;* qui de-  
 buisses hodie cum socio sepeliri in inferno. A-  
 dam propter lignum excidit è paradiso; tu deli-  
 gno admitteris in Paradisum. Antequam sol oc-  
 cidat in mundo, videbis me facie ad faciem in  
 Paradiso. Hodie ergò ex hoc turbulento freto e-  
 vades in portum: ex pugna perges ad triumphū;  
 ab ariditate, transibis ad fontes; à tenebris ad lu-  
 cem, ab inopia ad copiam, à vanitate ad verita-  
 tem, à tempore ad felicem æternitatem. *Hodie*

*mecum eris in Paradiso.* Ibi erit gaudium sine mœ-  
 rore, sanitas sine dolore, lux sine tenebris, quies  
 sine labore, honor sine ignominia, copia sine de-  
 fectu, vita sine morte, gloria sine termino. O ve-  
 rè gratiam, quia gratis datam! Nondam Abra-  
 ham fidelis, nondum Isaac obediens, nondum  
 Jacob patiens, nondum Joseph castus, nondum  
 Moyses mansuetus, nondum David pius ingre-  
 ditur in Paradisum, & ecce latro mox admitti-  
 tur. Quid hoc est Domine? Dum uni præstas gra-  
 tiam, pluribus videberis facere injuriam. Nonne  
 hic meritò murmurabuunt adversum te Patriar-  
 chæ & Prophetæ, & Reges, & Judices, dicentes:  
*Hic novissimus unâ hora fecit, & parem nobis fecisti, qui*  
*portavimus pondus diei, & estus? Non æquum est, ut*  
*fit paritas præmij, ubi tanta est imparitas meriti.*  
 Quid aliud promittes postea Paulo dicenti: *Bo-*  
*num certamen certavi, cursum consummavi; quàm,*  
*Hodie mecum eris in paradiso?* Tu Christe dixisti: *Qui*  
*perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Hic non  
 perseveravit usque in finem, sed inchoavit in fine  
 benè vivere, cum desinendum esset vivere. Sed  
 quid dicam? erunt novissimi primi, & primi no-  
 vissimi. Ille, qui dicit: *Ego sum a & ω, principium &*  
*finis,* elegit eum in fine, & quia benè finivit, obti-  
 nuit regnum, cujus non est finis. Verè hujus la-  
 tronis patibulo, tanquam clarissimo trophæo  
 meritò inscripseris ista magni Herois verba: *Ve-*  
*ni, vidi, vici.* Venit ad patibulum, vidit Dominum,  
 vicit diabolum. Docet hic latro novam Philoso-  
 phiam, quomodo ex malo antecedenti possit in-  
 ferri bonum consequens. Tota vita hujus latro-  
 nis antecedens fuit pessima; consequens, id est  
 mors, optima. Hic latro miro artificio mortis  
 tormentum vertit in virtutis instrumentum. De

Mat. 20.

12.

2. Tim. 4.

7.

Mat. 10.

22.

cruce, de scelerum suorum supplicijs, fecit scalas virtutum, quibus in cœlum conscenderet. Hæc est altissima prudentia, mala culpæ & pœnæ vertere in facinora virtutum ; in morbis exercere patientiam: in adversis concipere fiduciam: in rerum jactura fugere ad Dei Providentiam ; post peccata agere pœnitentiam. Sic quidam ipsam ignominiam vertunt sibi in theatrum gloriæ, dum generosè sui contemptum contemnunt; ostenduntque suo exemplo non esse dedecoris vituperari, sed esse vituperabilem. Sed dum audio latroni promitti Paradisum, quid dicam miser filius Adæ, exul Paradisi? Nulla spes mihi est redeundi ad Paradisum, si spectem vitam meam, quia pessima ; nulla spes, si intuear merita, quia exigua ; nulla, si attendam quot me inde arceant scelera, quia plurima ; nulla spes, si considerem quibus expositus sim, pericula, quia maxima. Sperare non libet, desperare non licet. Quid agam? unde spem concipiam? Dicam filius Ecclesiæ cum matre Ecclesia; *Qui latronem exaudisti, mihi quoque spem dedisti.*

## §. V.

*Dolor B. Virginis Crucis adstantis.*

**H**Atenus multis de Jesu, nunc paucis de MARIA: hucusque aspeximus Filium, nunc oculos convertamus ad Matrem. De hac Matre Jesu ita scribit discipulus, quem diligebat Jesus: *Stabat autem juxta Crucem Iesu mater ejus.* Nimirum ubicumque Jesus, illic & Maria, ubi filius, sibi mater ; fidelis filio suo usque ad mortem, mortem autem Crucis : ideò stabat juxta Crucem.

Ioan. 19.  
25.

cem. Maria cum Jesu in Bethleem, Maria cum Jesu in Jerusaleem, Maria cum Jesu juxta præseppe dum nascitur, Maria cum Jesu juxta crucem dum moritur. Non possunt ab invicem divelli societate, qui erga invicem conjunguntur charitate. *Stabat Mater*, pendeat Filius: illa juxta crucem, ille in cruce. *Stabat*, & quidem constanter perstabat, & sibi inter tot tristia constabat. *Stabat*, non avertens oculos, ne filij interitum videret, ut Agar; sed oculos per omnia ejus vulnera volutans. *Stabat*, non ut imbellis fœmina muliebriter ejulans, nedum animo deficiens; sed stabat integris sensibus, ut dolorem mœroremque totum tota hauriret. *Stabat*, non ad solatium Filij, cujus jam moribundi labijs nec frigida guttam in extrema, quâ ardebat, sibi licuit admove- re; sed ad majorem dolorum suorum ac Filii cumulum. Et cum Christus pendens in cruce esset facie versus Occidentem, Maria cum Joanne stabat versus Orientem, irretortis oculis intuens faciem Filii sui. *Stabat* inter cœli caligantis spissas, & horrificas tenebras, & terræ trepidantis tumultus, & lapidum convulsiones, & naturæ quasi deficientis terribilia in cœlo terraque prodigia ac portenta. O quantum discrimen inter Bethleem & Jerusaleem! Quantum differunt involvi nitidis pannis, & configi ferreis clavis! Jacere in fœno, & pendere in ligno! illic nasci, hîc mori! Quantum distant concentus Angelorum, & blasphemix Judæorum! Jam non resonat in auribus tuis illud cœleste carmen: *Gloria in excelsis Deo*; sed dira illa scommata: *Alios salvos fecit, seipsum non potest salvum facere*. Ubi nunc tres Reges, qui procidentes adorabant eum? Nunc hostes illudentes blasphemant eum. Tu hîc cum Maria

Maria  
juxta  
crucem.

Luc. 2.

Mat. 27.

42.

sta juxta crucem Jesu, & stando hæc pauca animo revolve. Nunquam fuerunt, nec unquam erunt duo majoris, si spectes amplitudinem; nec excellentioris, si spectes virtutes, dignitatis, quàm Jesus & Maria: nec ulli unquam magis ab æterno Patre dilecti. Prò! quales personæ Jesus & MARIA! Ille Rex regum, & Dominus dominantium, hæc Regina Sanctorum omnium: ille Filius Dei, hæc mater Dei. Et tamen ille tantus, in Cruce; hæc tanta juxta Crucem: neuter sine cruce. Quid hoc est? Ergò nulla salus nisi per Crucem? Si Christum oportuit pati, & ita intrare in regnum suum: si Matrem Christi oportuit pati, & ita intrare in regnum Filii sui: si oportuerit tantum Regem, tantam Reginam pati, & sic pati, ubi tamen uterque est sine labe purus, sine noxa innocens, sine peccato sanctus: tu, quem in peccatis concepit mater tua, qui in peccatis totam trivisti ætatem; qui quotidie, non tantum ut justis septies de die cadunt; sed septuagies septies, tu sine cruce? tu? hæres gehennæ, servus peccati, hostis Christi, inimicus Crucis Christi, mancipium diaboli, opprobrium terræ, odium cœli, & omnium Cœlitum; tu sine cruce è terra adscendes ad cœlum, ubi qui creavit cœlum & terram, pender è cruce, ubi Mater Dei, Regina cœli & terræ, stat juxta crucem? Audite appositè ad nostrum propositum loquentem Minucium Felicem: *Fortè nos decipit, quòd Deum nescientes divitijs affluant, honoribus floreat, polleant potestatibus. Miseri in hoc altius tolluntur, ut decidant altius. Hi enim ut victimæ ad supplicium saginantur, ut hostiæ ad pœnam coronantur. Quisquis hîc expetis delicias, ac refugis cruce; quisquis hîc optas oblectamenta, & horres tormenta, audies brevi in loco tormentorum illud*

æter-

Adver-  
sitas ne-  
cessaria  
ad salu-  
tem.

Luc. 24,

In Octav.

æterni Judicis sævum mandatum: *Quantum glorificavit se, & in delictis fuit, tantum date illi tormentorum & luctuum*: pro mensura deliciarum erit & mensura pœnarum. Itaque quidquid agas, quamcunque in partem te vertas, seriùs, ocyus luendum tibi est, hîc, vel illic; igne, aut aquâ; lacrymis, vel flammis. Tua est optio: elige, vel hîc cum Christo in cruce, vel postea sine Christo in igne. Sta cum Maria juxta crucem, & sic cum Christo transibis ex hoc mundo ad Patrem. Potestne Jesus esse in cruce, Maria juxta crucem, nec Jesus, nec Maria usquam, vel unquam sine cruce? Si ita est, *absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi*. Ibi erit mea spes mihi misero, ubi est Mater misericordiæ. Ibi erit totum meum solarium in omni desolatione, ubi est *Deus totius consolationis*. Mihi mundus erit crucifixus, & ego mundo, ut moriar mundo, & vivam Christo. Stabo, dum vivam juxta crucem cum Maria; perseverabo in cruce, dum moriar cum Jesu, ut per crucem post mortem, illuc perveniam, ubi regnabo cum Jesu & MARIA.

## §. VI.

*Christus commendat Matrem Ioanni.*

**F**ilius Dei jam proximus ut Matri, sic & morti: antequam commendavit spiritum suum in manus Patris, voluit dilectum suum discipulum commendare in manus Matris suæ, dicens: *Mulier ecce filius tuus.*

O tristis commutatio! Ergone Fili sic oblivisceris Matris tuæ? Non ergò amplius Maria erit Mater Jesu, nec Jesus Filius Mariæ? *Fili quid fecisti*

LUC. 2.

nobis sic? Quæ hæc est rerum conversio, tradere mihi Ioannem pro Iesu? seruum pro Domino, discipulum pro Magistro, nepotem pro filio, hominem pro Deo, filium Zebedæi pro Filio Dei?

**Hebr. 4. 12.**  
**Dolor Mariæ juxta mensuram amoris.**  
 Verè hic Sermo Filij Dei erat penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ & spiritûs. Hic erat gladius Simeonis, qui penetrabat animam Virginis. Dolor ejus quantus fuerit, facile erit ex ejus in Filium amore assequi. Deipara sola tanto Filium prosequabatur amore, ut illo simul junctos homines universos, Angelosque antecederet. Nunc autem pro mensura amoris est mensura doloris: quia, ut benè D. Augustinus, *tantum necesse est urat dolor, quantum hæsitat amor.* Tam immensa igitur fuit afflictio Virginis ex illo amore dimanans, ut dixerit D. Anselmus: *Quidquid crudelitatis inflictum est corporibus Martyrum; leve fuit, aut potius nihil comparatione tua passionis.* Plus asserit D. Bernardus: *Tantus fuit dolor Virginis, quod si in omnes creaturas divideretur, omnes subitò interirent.* Nec mirum: quia utriusque, & Matris, & Filii, erat cor unum, & anima una. Sed juvat hic audire D. Augustinum de hoc dolore differentem: *Cruciat te, Domine Iesu, crux tua, sed non minus Mater tua: cruciat te dolor tuus, sed non minus dolor ejus. Non est mirum si doles, & condoles; si pateris, & compateris, bone Fili, in desolatione Matræ, in separatione Matræ, in commendatione Matræ. Nunquam enim te deseruit: non in infantia, non in pueritia, non in adolescentia, non in juventute, non in passione tua. Nunquam defuit tibi ejus solatium, sed nec obsequium. Lactat infantem, audit & sequitur prædicantem, videt & comitatur patientem; contemplatur opprobria, intuetur vulnera, audit tua verba. Tu verò, bone Iesu, quamquam esset dolor intolerabilis, plaga insani-*

nabi-

nabilis, in agonia mortis, & ultimo spiritu constitutus non oblivisceris Matris tuae: caput inclinas, & eam in Matrem Ioanni commendas: & eum sibi in filium adoptas. Felix depositum, singulare privilegium, in signo solatium! Urgebat te siquidem Praeceptum, Domine Iesu. Iussisti: Honora Patrem tuum, & Matrem tuam: servitium quod ipsa exhibuit tibi, exemplum posteris relinquendum. Considerare libet, bona Mater, & genitrix, & nutrix, & filia desolata, quis sit dolor tuus, qua angustia tua. Vides crucifixum unigenitum tuum, mutat filium Magistrum in Discipulum, Regem in militem, Dominum in servum, omnipotentem in deficientem. Revera viscera tua penetrat gladius, configit animam tuam lancea, & clavus, lanceat mentem tuam spinarum aculeus, lacerat cor tuum Filij tui amarus aspectus: deest fortitudo, marcescit pulchritudo. Vulnere Filij tui, sunt vulnere tua; crux Filij tui, est crux tua; mors ejus, mors tua. Nutrix quomodo dimittis alumnum, mater filium, ancilla Dominum? unâ die orbatis Patre, & Filio. Ex quibus omnibus illud possumus ratiocinando elicere; Dolores, quos Cor Deiparae innocentissimum vel uno die persensit, illis videlicet 24. horis, quas ultimas Christus nefandos inter cruciatus vixit, acerbiores fuisse, quàm quidquid Martyres omnes passi sunt, vel patienter à primo mundi ortu, usque ad interitum; ab Abele, usque ad postremum ab Antichristo interimendum. Sola ergò anima Mariæ supergressa est Martyrum cruciatus, & tormenta universa. Sed ecce, dum illa Regina Martyrum atrocissimum in monte Golgoteo, sine sanguine patitur martyrium: dum illa Consolatrix afflictorum, gravissimè affligitur, & decumano veluti fluctu obruitur tristitia, no-

Nieremb.  
de Amore  
B. V. c. 15.

Maria  
omni-  
bus in  
Matrem  
data.

Joan. 3. 16

Rom. 8. 31

Sap. 7. 11.

bis omnibus fertilissima offertur seges lætitiæ. Nec enim soli Joanni, sed nobis singulis, adeoque universæ Ecclesiæ dictum est à moriente Christo: *Ecce Mater tua*. Quanta Christi in nos charitas, quanta & nostra per Matrem ejus felicitas! De Patris æterni charitate, & dilectione sic scribit D. Joannes: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*. Quid ni & nos dicamus: *Sic Filius Dei dilexit mundum, ut Matrem suam unicam daret*? Dedit, quando in uno Joanne omnibus dixit: *Ecce Mater tua*. Imò verò hic possem paucis immutatis usurpare verba D. Pauli: *Si Deus pro nobis, quis contra nos? Qui etiam Filio suo proprio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*. Ita dico: *Si Deus (hoc est, Christus Filius Dei) pro nobis, quis contra nos? Qui etiam propriæ Matri non pepercit, (dum voluit illam pro nobis juxta Crucem sic affligi) sed nobis omnibus tradidit illam: dum illa verba protulit, Ecce Mater tua*. Concludit Paulus, & ego cum Paulo: *Quomodo non etiam cum illo omnia nobis donavit: Quomodo non etiam cum illa Matre omnia nobis donavit*? Dicat nunc igitur quilibet, traditâ sibi tali Matre, cum Salomone: *Venerant mihi omnia bona pariter cum illa*. O peccator! erigere nunc in spem, & confide: *Ecce Mater tua*. O verbum plenum immensæ lætitiæ! dum nobis assignatur Mater, quæ est plena gratiæ. Ipsa est Mater Dei, & hominis; Mater rei, & Judicis, Mater miserorum, & Mater misericordiarum. Si Maria est Mater tua, ergò & Jesus est frater tuus; & Pater ejus, pater tuus; ergò & regnum ejus, hæreditas tua. Nunc ergò illam dilige; est enim Mater pulchræ dilectionis. Si sis miser, spera in eam; est enim Mater misericor-

ricordia: si indiges gratia, invoca eam: est enim Mater gratia. Si crucem suspicias, dicitur tibi cum Pilato: *Ecce homo*: si Crucem despicias, *Ecce Mater*. In homine Deo, vides vulnera, in virgine Matre, vides ubera. In medio positus, quod me vertam, ad vulnera, an ad ubera? Ad Filium, qui pendet in Cruce; an ad Matrem, quae stat juxta Crucem? Pascunt me vulnera. lactant me ubera: ex utrisque oritur mihi certa salutis fiducia. Non possum errare quocumque me vertam. Si ad te, o Jesu confugiam, dicis mihi: *Salus tua ego sum*. Si ad te, o Maria, confugiam, audio: *Qui me invenerit, inveniet vitam, & hauriet salutem à Domino*. Ubique promittitur salus: sed quia tu Salvator tuis verbis me legas ad Matrem dicendo: *Ecce Mater tua*; tuam veniam cum illa conferam, ut fructum referam. O Domina, imò quia sic placitum fuit ante Filium tuum, o Mater, ecce Filius tuus, qui jam moritur pro me, me tanquam filium delegat ad te: audi Filium tuum loquentem, & exaudi pro reverentia ejus. Dicit ille tibi de me: *Ecce Filius tuus*. Potestne negare Filio, & tali Filio, & Filio, in quo tibi semper bene complacuiisti, & Filio jam morienti? Vult Filius tuus ut me suscipias in Filium tuum: sunt ultima Filii tui, ad te, & pro me verba: ergò fiat mihi secundum verbum ejus. Audiam ergò ex ore tuo verba illa, quae Filius tuus à Patre, quem ab aeterno Pater genuit: *Dominus dixit ad me*: (nimirum Pater ad Filium?) *Filius meus es tu; ego hodie genui te*. Ita Mater mea, dic & mihi stans juxta crucem: *Filius meus es tu, ego hodie genui te*. Si filius tuus sum ego, jam Mater mea es tu. Hoc dicit mihi Filius tuus: *Ecce Mater tua*. Nunc ergò petitionem unam parvulam ego deprecor à te, ne con-

Ps. 34. 30

Prov. 8.

35.

Psal. 2. 2.

3. Reg. 2.

20.

*fundas faciem meam.* Quandoquidem dicat mihi filius tuus, jam & frater meus, quia tu mater mea; *Ecce Mater tua*: hoc unum obsecro, & salvus fuero: *Monstra te esse Matrem.*

## §. VII.

*Valedicit Filio Mater.*

**P**etiisti ut mater Dei se monstraret erga te esse matrem: petit & illa vicissim à te: monstra te esse filium. Monstrabis, si exemplum dilecti Christo discipuli sequaris, qui de se ipso ita scribit: *Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam.*

*Ex illa hora.* O felix hora, & ter felix hora, quâ accipitur Maria in Matrem. Venit hora, & jam est, quando Christus, quem hic agnoscis præsentem, & adoras, tibi dicit tacitè ex hac ara, quod altâ voce è Cruce dixit suo dilecto Discipulo: *Ecce Mater tua.* Hâc ipsâ horâ, quâ hæc verba pronuntio, hoc dicit: cur non hâc horâ accipis illam in tuam? In tuam Dominam, ut ei servias; in Patronam, ut ei confidas; in Advocatam, ut ab ea patrocinium expectes; in Reginam, ut ei obedias; in Matrem, ut eam diligas, & ab ea vicissim diligaris. Cur non ex hac hora totum te ei offers, tua illi obsequia consecras, tuam ei voluntatem resignas? Sed ecce, dum ego de Matre ago, Filius morti proximus dicit mœstum & simul extremum Matrivalè. Sciens ergò Jesus quia venit hora, ut transeat ex hoc mundo ad Patrem, ultimò alloquitur Matrem:

rem: Vale ô Mater: ecce enim opus, quod dedit mihi Pater, ut facerem, jam consummatum est. Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Vale Mater: Et ecce venit hora, & jam venit, ut redeam ad eum, qui misit me. Adest ille, ut accipiat in manus suas spiritum meum; Mater in manus tuas commendo corpus meum. Tu quæ, cum essem infans in stabulo, reclinasti corpus meum in præsepium, reclina illud mortuum in tumulum. Tu, quæ involvisti illud pannis, involve nunc syndone mundâ. mundus jam gaudet, tu verò Mater mea contristaris; sed expecta modicum, & tristitia tua vertetur in gaudium, & gaudium tuum nemo tollet à te. Tunc abstergam omnem lacrymam ab oculis tuis, quam diligo ut pupillam oculi mei. Vale Mater: a modo non audies me loquentem tibi, quia mors nunc imminet mihi. Aspice extremum, dum adhuc vivit, Filium. Ecce Filius tuus jam moritur, dum te alloquitur. Ecce paulatim clauduntur oculi, pallefcunt labia, contrahitur frons, rigent membra, stupent artus, frigent pedes, totum corpus gelido perfunditur sudore. Tempus est, ut Filio tuo moestissimo, & tu Mater dicas extremum vale. Illa ergò elevans oculos suos, emittit mille ad illum, in quo solo respirabat, suspiria, dicens amaro corde: Vale Fili, vale lumen oculorum meorum: vale vita vitæ meæ, vale unicum solatium meum. Ita Fili, quia sic placitum fuit ante te: non mea, sed tua voluntas fiat. Vale extremum Fili, & memento matris tuæ, cum veneris in regnum Patris tui. O Mater, non jam Mater! Non est qui consoletur

Ioan. 16.

22.

Ioan. 16.

31.

te

Thren. 2.  
13.

te, non est usque ad unum ; quia qui unus est solatium tuum, emittit spiritum suum. Magna est velut mare contritio tua : quis medebitur tibi? Tenebræ factæ sunt super universam terram: terra tremat, elementa titubant, diffiliunt lapides, tota turbatur rerum natura ; in tanto trepidantis, ac penè deficientis naturæ terrore, quis medebitur tibi? Tota exultat Judæa, applaudit sibi Synagoga, congaudent Scribæ & Pharisei, exultant hostes omnes Filii Dei, quia moritur Filius tuus: Quis medebitur tibi? Petrus præ timore latet, Joannes præ dolore tacet, Jacobus præ metu comparere non audet, alii præ stupore rigent, omnes te afflictam, tibi afflictissimæ relinquunt. Quis medebitur tibi? Mater dolore attonita stupet : Filius plenus amaritudine silet : ingens inter utrumque est silentium oris, sed magnus clamor cordis. In hoc tanto utriusque silentio, cui adhuc lubet loqui? Unum superest, ut silens doleam cum silente & dolente, & usurpem flebilis Vatis verba : Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum, & plorabo die ac nocte mœstissimam mœstissimi Filii Matrem? O JESU! ô Maria! ô Fili! ô Mater! JESUS, quantus tuus erga me amor! MARIA, quantus tuus pro me dolor? Non est dolor, sicut dolor tuus, ô Maria! non est amor, sicut amor tuus,  
ô JESU!

Jer. 9. 15

## §. VIII.

*Tenebrae super universam terram.*

**J**AM Sol justitiæ, qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, mundo occidebat: quod ut vidit alter ille sol, princeps siederum, seu ut testaretur suam tristitiam, seu ut detestaretur hominis nequitiam, clausit oculos, subtraxit radios, & suâ luce lucis ocores privavit; quare: *à sexta hora tenebrae factæ sunt super universam terram usque ad horam novam, & obscuratus est sol.* *Matt. 7. 43.*

Fervebat & æstuabat in meridie amoris Sol justitiæ, & tamen refrigerabat adhuc charitas Synagogæ. Posita jam erat lux mundi super candelabrum crucis, ut luceret omnibus qui in mundo sunt: & tamen Judæi, quasi lux adhuc lateret sub modio, videntes non vident; excæcaverat enim eos malitia eorum. Quare ut cognoscerent tandem Deum clausisse super eos oculos suæ misericordiæ, dum occidebat super illos Sol justitiæ, conglobantur ex Oriente, & Occidente spissæ undique nubes, totus aër atro, & veluti lugubri amictu in funere sui Domini induitur. Extinguuntur omnia luminaria cœli, abduntur sidera, sol ipse exutus suo splendore, dum splendor Patris obscuratur, piceo caliginis globo involvitur, totum cœlum prodigiosâ nocte in pleno meridie obnubilatur: atque imprimis iam montem Calvariæ incumbit tenebrosus turbo, quo & Jerusalem, & tota Iudæa obnubitur; denique universus orbis terribili tenebrarum horrore circumfunditur. Nascitur Christus in media

Luc. 2. 9.

nocte, illam illustrans; moritur in media die, illam obscurans. Nocte natus est Christus, & tamen *Claritas Dei circumfulsit pastores*; meridie passus est, & *tenebrae factae sunt super universam terram*. Ita se res habet: dum Christus in corde alicujus nascitur, lux est; dum occidit nox est. Sic dum ille, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, occidit, dicit Evangelista: *Obscuratus est sol*.

Ps. 13. 16.

O miseram hominis conditionem cui obscuratur sol ille, qui *fabricatus est auroram, & solem*!

Cur Iudaei non credunt venisse messiam, blasphemant Christum, quem nos adoramus ut Deum?

Cur adhuc jacent in tenebris Synagogae, in umbris mosaicis? Quia illis *obscuratus est sol*.

Cur impii ambulat in tenebris? cur non abjiciunt opera tenebrarum? Cur oderunt lucem? Quia illis *obscuratus est sol*.

Ingreditur templum haereticus, ingreditur Catholicus, utriusque oculis proponitur Deus, sed absconditus speciebus panis.

Haereticus videt, & ridet: Catholicus videt, & adorat; ille despicit, hic suspicit; ille exhibilat, supplicat hic, *quia illi obscuratus est sol*.

Sed tu Catholice quid vides, quod non videt haereticus? Video in illis accidentibus *figuram substantia divinae*;

video in illa alba nubecula panis splendorem Patris; video in illa contemptibili forma & specie panis, speciosum formam praefiliis hominum;

video in ista humilitate majestatem, & adoro: Sapientiam, & admittor; Potentiam, & suspicor;

miseritiam, & confido; Iustitiam, & formido. Denique video in abscondito Deum absconditum, in quo absconditi sunt omnes thesauri sapientiae, & scientiae Dei.

Haec vident oculi Catholicici, a Deo illuminati splendore fidei. Clamat Sapiens obstupefactus incredibili, ac in-

com-

com-

COM-

Fides  
mitabi-  
lia reve-  
lat.

Heb. 11.

comparabili pulchritudine Castitatis : O quam *Sap. 4. 1.*  
*pulchra est casta generatio cum claritate ! Immortalis*  
*est enim memoria illius ; quoniam apud Deum nota est*  
*& apud homines. Cur tot Iuvenes, qui quæ pul-*  
*chra sunt amant , illius pulchritudinem non vi-*  
*dent, & illâ capiuntur? Quia illis obscuratus est sol.*  
 Ita superbi oderunt humilitatem , divites hor-  
 rent paupertatem, molles timent vitæ austerita-  
 tem, ebriosi averfantur temperantiam : denique  
 impii detestantur virtutes, quibus nihil est uti-  
 lius, honestius, jucundius : quia illis *obscuratus est*  
*sol. Non ille sol, quem Deus fecit, ut præset diei: Gen. 1. 16*  
*Non ille sol, qui ad imperium Iosue, stetit in medio Jos. 10. 15.*  
*cæli ; sed ille Sol, quem invocabat Zacharias, his*  
*verbis : Illuminare hiæ qui in tenebris, & in umbra*  
*mortis sedent. Ille Sol, quem Simeon vocat Lu. 1. 72.*  
*men ad revelationem gentium. Ille Sol, cujus facies*  
*resplenduit sicut sol : cujus oculi lucidiores sunt super*  
*Luc. 2. 32.*  
*solem. Hic sol obscuratus est illis : & si hic sol*  
 vita occidente , occidat super malitiam illorum,  
 mittentur in tenebras exteriores. Tunc vident,  
 & non revertentur , ad terram tenebrosam, & oper-  
*Matt. 19.*  
*Eccl. 23. 2.*  
*ubi umbra mortis, & nullus ordo. Tunc aperient*  
*os suum, & maledicent diei suo, dicentes : pereat*  
*Iob. 10. 22.*  
*dies , in qua natus sum. Dies ille vertatur in tene-*  
*Iob. 3. 1.*  
*bras , & non illustretur lumine : obscurent eum te-*  
*nebra ; & umbra mortis. Tunc dicent , quod*  
 stulti illi apud Sapientem : Ergo erravimus à via  
*Sap. 5. 6.*  
*Veritatis , & Iustitia lumen non luxit nobis , & sol*  
*intelligentia non est ortus nobis ! O Sol intelligen-*  
 tiæ , qui nos visitasti oriens ex alto , ecce tene-  
 bræ factæ sunt super univerlam terram nostram.  
 Tenebræ super memoriam : non respicimus  
 præterita scelera, ideo non plangimus : Tene-  
 bræ

bræ super intellectum, non circumspicimus præ-  
 sentia pericula, ideò contemnimus: Tenebræ su-  
 per voluntatem, non prospicimus futura suppli-  
 cia, ideò non timemus: Tenebræ super oculos,  
 linguam, aures, manus, pedes, hinc & prosequi-  
 mur fugienda, & prensamus abjicienda, & lo-  
 quimur tacenda. Tu, qui fecisti solem in potestatem  
 diei, dum occidis in cruce, orere in nostra mente,  
 donec gloria tua super nos oriatur: tunc dicetur  
 nobis, quod electis: *Non erit tibi amplius Sol ad  
 lucendum per diem, nec splendor Lunæ illuminabit te;  
 sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Non occidet  
 ultra Sol tuus.*

Ps. 135. 8.

Is. 60. 19.

## §. IX.

*Exclamat Christus circa horam nonam.*

**S**ole cæli metator, & temporum omnium di-  
 spensator, jam plus quàm quater millies irre-  
 quieto motu annuam cæli orbitam emensus,  
 tandem multorum temporum vertigine, &  
 complurium sæculorum pondere devolutus est  
 ad diem salutis, ad diem boni nuntii, ad diem  
 quam fecit Dominus, ad illius diei horam no-  
 nam, hoc est postremam, quâ desuit vivere Chri-  
 stus, & primam, quâ cœpit vivere mundus. *Circa  
 horam nonam clamavit Iesus voce magna.*

Matt. 27.

45.

Clamabat voce magnâ: id est, voce instar tubæ  
 sonora, instar rugitus horrendâ, instar tonitru va-  
 lidâ: totâ ergo vocis, & laterum contentione ex-  
 clamavit. non leviter dixit, non modestè locutus  
 est, sed *clamavit*; ut surdi audirent, tremere impii,  
 horre-

horrerent dæmones, attenderent Angeli, confiderent captivi, percellerentur Judæi. *Clamavit voce magnâ*. Hæc erat verè vox Domini in virtute, vox Domini in magnificentia. Vox hæc erat non clamantis in deserto, sed expirantis in patibulo. Clamavit autem voce magnâ circa horam nonam. O hora omni ex parte immensum admiranda! Circa hanc horam, veluti cardinem, versabantur omnes dies omnium antiorum, lustrorum, ætatum & qui eam præcellerant, & qui deinceps secuti sunt, & qui porrò orientur, & occident in omnes annos consequentes. Vix creaverat DEUS cælum & terram, & tota terra repleta spinis & tribulis clamabat ad suum, quem expectabat, venturum Messiam: *Utinam disrumperes cælos, & descenderes!* Sed audiebat respondentem: *Nondum venit hora mea.* Reputat jam Divina Justitia omnes fontes abyssi magnæ, & cataractas cæli aperuerat, & pluerat super terram 40. diebus, & 40. noctibus. Clamabant tunc omnes voce magnâ: *Domine salva nos, perimus.* Iterum audiebant: *Nondum venit hora mea.* Jam triginta effluxerant ab orbe condito sæcula, & clamabant omnes Prophetæ, & captivi in carcere limbi: *Domine inclina cælos tuos, & descende.* Iterum audiebant: *Nondum venit hora mea.* Tandem cum jam esset salutata à cælesti Paranymphe, novi sponsi nova sponsa, imò & Mater gratiâ plena, venerat jam plenitudo temporis, & cum plenitudine temporis venerat tempus miserendi: sed nondum venerat hora. Tandem, tandem *circa horam nonam*, quâ omnes novem Angelorum Choti advolaverant ad montem Calvariæ, spectatores futuri mirabilium, quæ Filius Dei esset illâ horâ operaturus in medio terræ, *circa horam nonam clamavit IESVS voce magnâ ad Patriarchas, qui illam suis figu-*

Psal. 18.

4.

Isa. 64. 1.

Ioan. 2. 4

Matth. 8.

25.

Ps. 144. 5

ris expresserant; ad Prophetas, qui suis vaticinijs venturum prædixerant; ad Reges, qui eum tot annis expectaverant: ad captivos omnes, qui eum tot votis expetierant; ad mundum universum, qui eum tanto ambitu quæverat: *Venit hora, & nunc est post 40. sæculorum curricula, post tot annorum chiliades, post tot dierum, & horarum myriades, venit hora, & nunc est. Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Venit hora, & nunc est.*

**Ioan. 4.** 23. *Luc. 21.* 18. *Cant. 2.* 10. *Ose. 2.* 19 *Matth. 11* *Ephes. 5.* 14. *Rom. 13.* 11. *Rom. 13.* 11. **Conver-** **sio non** **diffe-** **renda.**

*Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, Ecclesia; osculare me osculo oris tui: venit hora; est enim hora nona, quâ sponsabo te mihi in sempiternum: & sponsabo te mihi in Iustitia, & iudicio in misericordia, & miserationibus. Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis. Venit hora, quâ reficiam vos. Surge Adam qui dormis, & exurge, & illuminabit te Christus: est enim circa horam nonam. O quam diuturna mora expectata est hæc hora! Ite Angeli Pacis, & per quatuor terrarum regiones inflate tubas, & resonantium lituorum clangore, exclamate circa horam nonam: Hora est iam nos de somno surgere. Fuit aliquando triste illud tempus, quo mundus non nisi obscuris umbris, & figuris venturi Messie se solabatur: sed nunc umbram fugat veritas, quia nox præcessit, dies autem appropinquavit, imò & hora salutis; est enim hora nona, hoc est ultima Salvatoris, prima salutis. O quam multos reperire est, qui clamore magno, monente è cælis DEO, minante è nubibus divina Iustitia, invitante è Cruce misericordia, pulsante ad cor cælesti sponso; Surge qui dormis, hora est iam nos de somno surgere; respondent; Nondum venit hora mea. Cadit repente qui adlat lateri tuo socius, & subito extinguitur, Mors illius quid aliud est, quam vox clamantis, surge qui dormis? Tu Juvenis cujus ho-*

role-

rologium fors devolutum est ad horam nonam,  
 hoc est vitæ postremam, cogitas; *Necdum venit hora  
 mea.* Sto tantum in limine orientis vitæ, floret æ-  
 tas, vigent sensus, salit per venas juvenilis sanguis,  
 rubent genæ, fluctuat per niveam cervicem aurea  
 cæsaries; *Nondum venit hora mea.* Interim dum co-  
 ronas te rosis, dum tenes tympanum, & citharam,  
 & ducis in bonis dies tuos, idem tibi contingit,  
 quod in grandi illo convivio Balthasari Regi : in  
 eâdem horâ apparet digitus, horologij index, qui  
 designat horam nonam, tibi summam; & audis:  
*Novissima hora est.* Tunc ut Balthasari, facies tua  
 commutatur, & cogitationes tuæ conturbant te,  
 & compages renum tuorum solvuntur, & genua  
 tua ad se invicem colliduntur. Tunc circa horam  
 nonam clamas voce magnâ; Inducias usque ma-  
 nè, citò, citò, sacerdos, confessio. Frustrâ, *Novissima  
 hora est.* Necdum disposui domui meæ, non con-  
 didi testamentum, non expiavi conscientiam;  
 perinde *Novissima hora est.* Saltem, *Dimitte me ut  
 plangam paululum dolorem meum, antequàm vadam,  
 & non revertar, ad terram tenebrosam, & opertam  
 mortis caligine.* Seriùs: *Novissima hora est.* Da saltem  
 spatium, ut percutiam pectus meum, & dicam  
 contrito corde: *Deus propitius esto mihi peccatori.* Nec  
 tantum licet: *Novissima hora est.* Itaque *adolescens tibi  
 dico, surge: hora est jam te de somno surgere; quia  
 fors post horam, erit tibi novissima hora.*

Dan. 5. 6.

1. Ioan. 2.  
18.Iob. 10.  
20.Luc. 18.  
13.

*Clamat se derelictum à Patre,*

**H**Oc quod sequitur punctum primas obtinet inter omnia, quæ in Christi patientis tragedia contigerunt admiranda. Est vox una, qualis ab hominum memoriâ non fuit audita, nec olim unquam audietur. Est vox plena sacrosancti cuiusdam horroris, miranda auditu, difficilis intellectu, terribilis relatu. Est vox prolata à verbo Patris, quæ stupore replevit cœlum & terram; homines, & Angelos; & inanima omnia attonuissent, si mente & ratione constitissent. Opus hic est omnibus tuis viribus, totoque robore, ô Fides, ut credamus fuisse factum, quod, non posse fieri iudicat ratio, dicit natura. Erigite aures, & percipietis verba; erigite mentes, & comprehendetis verborum mysteria. Jam propè moriebatur immortalis in corpore mortali DEUS, in medio caliginosi aëris, & cæco incumbentium super universam terram tenebratum horrore, suspensus è ferali probrosæ crucis pegmate, cum ecce præ dolorum eum undique opprimentium magnitudine, ac multitudine propè ad nihilum redactus; magnum mundo aperturus Sacramentum: *Circa horam nonam exclamavit IESVS voce magnâ, dicens: Eli, Eli, Lama sabactani: hoc est, DEVS meus, DEVS meus, ut quid dereliquisti me?*

Mat. 27.  
45.

Hominem conqueri de homine, vulgare est: aliquid conqueri de seipso, usitatum est: DEUM conqueri de DEO, Filium de Patre, & talem Filium de tali Patre: & tunc dum moritur, & sic moritur, factus Patri obediens usque ad mortem, mortem autem crucis, Sacramentum est, quis explicabit? Mysterium est, quis capiet? Prodigium est, quis cre-

cre-

credat? Convertibat Christus undique, & undique moribundos oculos, ut videret si esset qui eum consolaretur. Vertit ad Matrem? tristis erat anima ejus usque ad mortem. Ad Apostolos? fugerunt. Ad Judæos? blasphemabant. Ad Sacerdotes? iridebant. Ad carnifices? pœnam augebant. Ad solem? obscuratus erat. Ad Angelos? amarè flebant. Nunquam solatium nec ab amicis, nec inimicis; nec ab hominibus, nec ab Angelis; nec à cœlo, nec à terrâ. Clausus undique aditus solatio. Quapropter destitutus jam omni humano solatio, cogitabat Filius Prodigus in amore, cum nullum hic sperandum sit solatium, *Surgam, & ibo ad Patrem: ipse exaudiet me propter reverentiam; quia sum Filius ejus dilectus, in quo sibi semper bene complacuit. DEVS meus, DEVS meus.* Videtur cœlum illi esse æneum, nullum percipit solatium *DEVS meus, DEVS meus.* Clamat, & non auditur; pulsât, & non aperitur; quærît, & non invenit. *DEVS meus, DEVS meus ut quid dereliquisti me?* Vox prope me defecit ad has voces. Non est hic homo justus, quia, teste Davide, *non vidi iustum derelictum;* hic autem conqueritur se derelictum. Hic homo peccator est, quia à DEO non exauditur: *scimus enim quia peccatores DEVS non exaudit.* Quid aliud clamare possit moriens fraticida Cain? Quid aliud blasphemus Sennacherib? Quid aliud impius Antiochus? Quid aliud sacrilegus Herodes. Denique quas alias voces edere posset quicumque homo perditissimus, flagitiosissimus, & juratissimus DEI inimicus, quàm illas Christi, *DEVS meus, DEVS meus ut quid dereliquisti me?* Vox hæc est vox Esau non Jacob; est vox morientis peccatoris, non redimentis peccatores. Nunquid vox hæc est Filij tui, ô Pater? nunquid hic est ille, qui dixit: *Meus cibus est, ut faciam*

Luc. 15.

Psal. 36.

25.

Ioan. 9.

31.

- Ioan. 4. voluntatem eius, qui misit me? & iterum: Ego qua placita sunt ei, facio semper? Nunquid hic est, qui dixit:
34. Ego clarificavi te super terram: opus consummavi, quod
- Ioan. 8. dedisti mihi ut facerem? Nonne ille est, de quo tu ipse
29. palam testatus es: Hic est Filius meus dilectus, in quo
4. mihi bene complacui? Et quomodo quem diligis, iam
- Matth. 3. deteris? Hoc stratagema est Divini Amoris. Dere-
17. linqueris o Christe, ne derelinquas, derelinqueris a
- Psal. 36. Patre, ne derelinquas filios, electos tuos. Unde
- post te a Patre derelictum, vox est verissima Davi-
- dis: Non vidi justum derelictum. Sed tu JESU quid
- causam quæris, cur te deserat Pater, dicens: *Vt quid dereliquisti me?* Scis illum conqueri de me ore Moy-
- Deut. 32. sis: *DEVM qui te genuit, dereliquisti; & oblitus es Domini Creatoris tui.* Scis illum de omnibus conqueri
18. ore Jeremia: *Omnes dereliquisti me.* Sic ingrati Christum derelinquimus omnes, postquam Christus propter nos dereliquit omnia. Quid Christus propter nos homines non dereliquit? dereliquit cœlum, quia propter nos homines descendit de cœlo. Dereliquit Patrem: *Exivi a Patre, & veni in mundum.* Dereliquit Matrem, tradens eam Joanni, cum diceret: *Ecce Mater tua.* Dereliquit divitias suas, unde, propter nos egenus factus est, cum esset dives. Dereliquit suam pulchritudinem: *Non est ei species neque decor.* Dereliquit nobis corpus, sanguinem, vestes, animam, omnia; & post omnia propter nos derelicta, cogitur conqueri, *Omnes dereliquisti me.* Et tamen illa ipsa, quæ tanto sudore, tam impensò studio, tot laboribus, tantis periculis cum dispendio animæ tuæ consecraris, & propter quæ DEVM derelinquis, tandem, tandem cum deserendus est mundus, tanto te deserent luctu, & gemitu, quanto quæ sua fuerant à te ambitu. Tunc derelinquent te divitiz. *Relinquent al ienis divitias suas.* Derelinquet
- Omnia  
 morien-  
 tem de-  
 relin-  
 quunt.

quet te Gloria. Quoniam cum interierit homo, non su-  
 mer omnia, neque descendet cum eo gloria eius. Dere-  
 linquent te amici, noti, propinqui. Audi Job: Noti  
 mei quasi alieni recesserunt à me: dereliquerunt me pro-  
 pinqui mei; & qui me noverant, obliti sunt mei. Dere-  
 linquent te parentes: Pater meus, & mater mea dere-  
 liquerunt me. Denique ô misera anima! in illa hora  
 complebitur illud, quod DEUS prædixit animæ  
 deserenti se, apud Ezechielem: Denudabunt te vesti-  
 mentis tuis, & auferent vasa decoris tui, & derelinquent  
 te nudam, plenamque ignominia. Tunc dicent Ange-  
 li Animæ ab omnibus derelictæ, quod Jeremias  
 refert: Cur avimus Babylonem, & non est sanata: dere-  
 linquamus eam. Derelinquet te DEUS ipse, uti mi-  
 natur ore Moysis. Irascetur furor meus contra eum in  
 die illa; & derelinquam eum, & abscondam faciem  
 meam ab eo. Quid inde sequitur? Vide nunc Iliadem  
 malorum. Erit in devorationem: invenient eum omnia  
 mala, & afflictiones; ita ut dicat in illa die: Vere quia  
 non est DEVS mecum, invenerunt me hæc mala. Tunc  
 accurrent undique inimici tui, & invadent, dicen-  
 tes; DEVS dereliquit eum; persequimini, & comprehen-  
 dite eum, quia non est qui eripiat. Tunc derelinquet te  
 DEI Providentia, quia de nullâ re tibi amplius  
 prospiciet: derelinquet te ejus Sapiencia, quia nun-  
 quam mentem tuam illustrabit; Potentia, quia non  
 defendet contra hostes; Bonitas, quia non amplius  
 te amabit: Misericordia, quia in æternum tui non  
 miserebitur: Sola te non derelinquet ejus Justitia.  
 Tunc derelinquet te sol, quia nunquam tibi orie-  
 tur; luna, & stellæ, quia non dabunt tibi lumen;  
 aqua, quia nunquam linguam tuam refrigerabit;  
 aer, ne respites; cœlum, ne ejus aspectu delesteris;  
 derelinquent te aves cœli, pisces maris, bestia ter-  
 ræ, quia non amplius te pascent. Nullum unquam

Eccl. 48.

Dere 11.

Psal. 48.

15.

Job. 19.

15.

Ps. 26. 10

Ezech.

16. 39.

Ier. 51. 9.

Deut. 31.

17.

Damna-

ti omni-

solatio

&amp; auxi-

lio desti-

tuti.

Ps. 59. 11.

totâ æternitate sperandum minimum momento minimo solatium, nec à terrâ, nec à cœlo; nec ab Angelis, nec à dæmonibus; nec ab hominibus, nec à cœlitibus; nec à Deipara, nec à Christo, nec à DEO; nec à præteritis, nec à præsentibus; nec à futuris. Tunc totâ æternitate ab omnibus derelictus, incipiet conscientia tua te mordere, pun gere, vellicare, infinities tibi reperens illa verba Jeremia, *Scito, & vide, quoniam malum, & amarum est, reliquisse te Dominum DEVM tuum. Hæc omnia mala ne mihi contingant, Adjutor meus esto, ne derelinquas me.* Quando ab omnibus derelictus tradam spiritum meum, recordare quia tibi derelictus est pauper; ne derelinquas me, ideò enim Pater tuus dereliquit te, ne tu, Frater meus, derelinquas me.

Jer. 2. 19.

Ps. 26. 9.

## §. XI.

## Situs Christi.

*Matt. 10. 22.* **E**st Christi oraculum: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.* Sicut ergo cui vis necessarium est perseverare in finem, ut sit salvus; sic & Christo, ut sit salvator. Ut autem perseveraret usque in finem, debebat consummare omnia, quæ ad finem salutis nostræ de eo in Scriptura erant expressa. Cum ergo videret necdum impletam esse illam Scripturam Davidis, *Insiti mea potaverunt me aceto: ne jota unum, vel apex præteriret de Scriptura, quem non impleret, Sciens IESVS, quia omnia consummata sunt; ut consummaretur Scriptura dixit: Sitio. Vas ergo positum erat plenum aceto. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerant ori ejus.*

Psal. 11.

Hic iterum novum se offert mysterium. Jam mors propè erat in labijs Christi, mors in oculis, mors in corde, mors in toto corpore illius, qui est  
vita

vita nostra. Jam propè cursum consummaverat, & ecce quasi cursum inchoaret; quasi staret adhuc in exordio magni illius operis quod propè perfecerat adhuc ardens plura pati, dixit: *Sitio*. Sciebat JESUS jam omnia prope esse consummata; enimverò dixerat, fecerat, pertulerat, quidquid dici, fieri, perferri pro salute hominis vel poterat, vel debebat, & tamen quasi nihil dixisset, nihil egisset, nihil pertulisset; plura pati exoptabat. Poterat hic Christus loqui ut Jonas projectus in mare: *Projecisti me in profundum, in corde maris: omnes gurgites tui, & fluctus super me transierunt, Circumdederunt me aquæ usque ad animam: abyssus vallavit me pelagus operuit caput meum*. Observata hic omnia congesta simul, quæ possent extinguere sitim; profundum mare, gurgites, fluctus, aquæ, abyssus, pelagus; & tamen inter tot aquarum cumulos, clamat: *Sitio*. Quid miramur illum sitire tam fessum ambulando, operando, conflagrando; Sâson solus mille prostraverat Philistæos, *sitiensque valde* (ait Scriptura) *clamavit ad Dominum, & ait: Tu dedisti in manu servi tui salutem hanc maximam, atque victoriam: en siti morior*. Magnus hic bellator Christus, contra quem non pugnaverant? Prodibant in campum eum pugnaturo Angeli, homines, dæmones. Ex hominibus Ethnici & Judæi, Reges & subditi, Romani ac barbari, milites & cives, Ecclesiastici & Laici, litterati & indocti, Magistratus & privati, noti & ignoti, amici & adversarii, & ipsa denique DEI Justitia; ita ut de Christo meritò dici posset, quod de Saule præliante, *Totum pondus belli versum est in Saul*; Ita totum pondus prælii, quod contra illum inibat Divina Justitia, versum est in Christum. In illum Justitia confregit sagittas, arcum, gladium, & hastam. Numquid ergo dum

1on. 2.

Jud. 1 8.

18.

1. Reg. 1

tam

tam ardua prælia præliatur JESUS, meritò ut  
 Samson exclamat: *En siti morior.* Sed quid hoc est,  
 Domine? Ergone fons ipse sitit? tu alios sitientes,  
 ut ad te veniant, invitas, dicens: *Omnes sitientes ve-*  
*nite ad aquas.* Et, *Si quis sitiat, veniat ad me, & bibat.*  
 Tu fons es sapientiæ, torrens voluptatis, abyssus  
 dulcedinis, puteus aquarum viventium: potestne  
 deesse in puteo, abyssò, fonte, torrente aqua? Ad te  
 ipsum ergo recurre, ut sitim extinguas. Vel certè  
 illud, quod tibi Judæi offerunt, acetum, verte in  
 vinum; qui olim in nuptijs aquam vertisti in vi-  
 num. Sed profectò sicut Pater eum dereliquerat,  
 sic ipse se dereliquit: nec tantillo solatio frui vole-  
 bat. O Virgo, quæ hic cruci adstas, & audis cla-  
 mantem Filium: *Sitio, ubi nunc ubera tua, qua me-*  
*liora sunt vino? ubera illa, quibus Filium infantem*  
*roties lactasti sitientem?* Tu in nuptijs Cana Gali-  
 læ, ubi tamen non deerat quod biberent convi-  
 væ; ubi nemo clamabat: *Sitio: misericordiâ mota*  
*super discumbentes, dixisti Filio: Vinum non habent;*  
*Jam ipse Filius tuus, qui aquam mutavit in vi-*  
*num, fici in cruce perit, & te audiente clamat: Si-*  
*tio: cur non in genua procumbis, & clamas ad Pa-*  
*trém ejus: Vinum non habet? Filius tuus dixit de se-*  
*ipso: Ego sum vitis.* In vite sunt palmites, in palmi-  
 tibus uvæ, ex uvis exprimitur vinum: cur illi non  
 dicis; *Vinum non habes?* Quid mirum, si vinum  
 non habeat? Illi enim temulenti, & bibacissimi  
 potatores vini, qui comorantur in vino, & student ca-  
 licibus epotandis; ut loquitur Salomon: *bibentes vi-*  
*num in phialis,* ut dicit Amos. Illi de quibus Isaias:  
*Qui consurgunt manè ad ebrietatem sectandam, & po-*  
*tandum usque ad vesperam, ut vino astuent: potentes ad*  
*bibendum vinum, & viri fortes ad miscendam ebrieta-*  
*tem; omne vinum exhausserunt.* Hinc Filius DEI  
 vi-

sa. 55.  
 van. 7.

int. I. I.

an. 2.

an. 15. I

briofu

gunt

hri-

am si-

re.

rov. 13.

o.

nos. 6.

a. 5. II.

12.

vinum non habet. Illi ebriofī, quos Vas electionis  
 vocat *vasa iræ*, apta in interitum, & *vasa in contume-* Rom. 9. 21  
*liam*, evacuarunt omnia vasa vini. Hinc ante Fi-  
 lium DEI, ponitur vas aceto plenum: quare vinum  
 non habet. O si in convivijis illis, de quibus Isaias  
 differit: *Cythara, & lyra, & tympanum, & tibia, & vi-* Isa. 5. 12  
*num in convivijis vestris; si in illis epulis, dum per-*  
*græcantur helluones illi temulenti, vino madidi,*  
 vox illa Christi lamentabilis personaret: *Sitio: quis*  
*non offerret ei calicem, saltem aquæ frigidæ?*  
 Quomodo jam refrixit omnium charitas? Etiam  
 hunc ei negant ebriofī. O Maria! jam potes dicere  
 de Filio tuo, non illud; Vinum non habet: sed  
 aquam non habet: quia non habet nisi acetum.  
 Illi potatores vini audient aliquando in celebri  
 illo theatro coram Angelis, & hominibus, ex ore  
 illius qui jam moritur siti: *Sitivi, & non dedisti mihi* Mat. 15  
*potum.* Illi sunt qui cum Evangelico illo epulone, 42.  
 ad æternam sitim damnati clamabunt: *Pater, mitte* Luc. 16.  
*IESVM, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut* 24.  
*refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.*  
 Quàm calamitatem ut avertat à nobis Deus, re-  
 frigerate nunc linguam Christi sitientis. Sirit ipse  
 nostras lachrymas. Clamet ergo quilibet cum Je-  
 remia: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis* Jer. 9.  
*fontem lachrymarum, ut refrigerem linguam Salva-*  
*toris mei! Non habeo, ô fons aquæ vivæ! nisi ge-*  
*minos hos oculorum fontes, ex quibus stillant fal-* Jer. 17.  
*sæ lachrymæ: habito enim in terra salsuginis: has ti-*  
 bi offero pro potu. Fluente ex oculo dextero la-  
 chrymæ Amoris ob beneficia tuæ; ex sinistro, do-  
 loris ob scelera mea. His extinguam sitim tuam,  
 ut in novissimo die aliquando audiam ex ore tuo  
 illa expectatissima verba, *Sitivi & dedisti mihi bibe-*  
*re.*

## §. XVII.

*Penultima Christi verba.*

**S**uperest in ultima Christi hora penultimum  
 ejus verbum: qui jam instar clamorissimi præ-  
 conis, è sublimi crucis suggestu, altissimè, ut à to-  
 tâ rerum universitate audiri possit, exclamavit:

an. 19. *Consummatum est.*

O verbum compendiosissimum simul & plenif-  
 simum! Nunquam ex quo cœpit loqui Verbum  
 Patris, protulit verbum vel optabilius nobis, vel  
 jucundius Angelis, vel horribilius dæmonibus, vel  
 optabilius sibi, vel acceptius Patri, quàm hoc ver-  
 bum, *Consummatum est.* O verbum lætitiæ! verbum  
 gloriæ! verbum victoriæ! verbum triumphi, *Con-  
 summatum est.* Horrent dæmones, dum hoc audi-  
 unt, & contremiscunt; Sperabant enim, cum vi-  
 derent Christum, tam alta jacere novi ædificij fun-  
 damenta, aliquando cum sibilo, & scommate il-  
 ludentes, dicturos: *Hic homo cœpit ædificare, & non  
 potuit consummare, sed nunc consummatum est.* *Con-  
 summatum est.* Horrete inferi, pavete dæmones, ma-  
 gnum illud prælium inter vos & Christum *con-  
 summatum est:* brevi aderit magnus ille Dominus  
 exercituum ante claustra vestra, perfringet vectes  
 ferreos, elevabit portas æternales, eripiet spolia  
 vestra, captivam ducens captivitatem. *Consumma-  
 tum est.* Gaudete ô captivi, nunc tandem veniet  
 Dominus, & non tardabit: jam enim magnum il-  
 lud opus Redemptionis vestræ *consummatum est.*  
 Exulta, & tu Ecclesia, nova novi sponsi sponsa:  
 jam clauditur Synagoga, jam reprobatis Judæis,  
 veniet desideratus omnibus gentibus, jam deof-  
 cula-

16. 14. 8

culabitur osculo oris sui, dilectus tuus : *jam hyemis Cant. 2. i*  
*transijt imber abijt: vox turturis audita est in terra tua.*  
 Definite ô Angeli pacis! amare fletu, sed ire, & per  
 quatuor mundi plagas nuntiate ( *hæc est enim*  
*Dies boni nuntij: ) Ecce evangelizo vobis gaudium Luc. 2. o*  
*magnum, quod erit omni populo, quia hodie non nasci-*  
*tur, sed moritur Salvator, Consummatum est. Sed tibi*  
 Consummatori omnium gratulandum est maxi-  
 mè, per cuius merita nos consummati in brevi ex-  
 plemus tempora multa. O quot Sacramenta com-  
 plectitur hæc vox *Consummatum est !* Antequam  
 auctor vitæ oppeteret mortem, antequam Salva-  
 tor mundi exiret è mundo ut rediret ad Patrem,  
 animo relegit universam à primò capite Genesis,  
 usque ad ultimum Machabæorum, Scripturam,  
 & accuratè discuriebat singula, & invenit quid-  
 quid in toto veteri lege de se vel à Patriarchis  
 præfiguratum, vel à Prophetis prædictum, vel à  
 Patre præscriptum, vel à Spiritu sancto expressum  
 fuerat, à se, ad jota usque esse observatum. Qua-  
 propter exultans spiritu, ad Patrem conversus di-  
 xit: *Consummatum est.* Tandem tandem omnia ab  
 utero Matris, usque ad mortem crucis, consum-  
 mata sunt. Nulli rei peperci, non commodis, non  
 honori, non sanguini, non corpori, non vitæ: nul-  
 lus reliquus est in venis cruor, nullum in ossibus  
 robur, nulla in arteriis motio, nullus in pulmone  
 spiritus, nulla in corde superest vita. *Consummatum*  
*est id omne, quod erat Christus.* Verè jam con-  
 summata est ex una parte, hominis iniquitas, & ex  
 altera DEI charitas. Utraque jam pervenit ad  
 summum, nec potest esse major. Quæ enim potest  
 esse major iniquitas quam hominem, DEUM oc-  
 cidere? Quæ major Charitas, quàm DEUM pro  
 homine mori? Sed quia jam ille, per quem vivi-  
 mus

mus expectat mortem, à Jesu moriente ad vos moriturus, à magno illo consummatore ad vos consummandos in brevi, sermonem converto. O homo quisquis hæc audis, attende & vide, quomodo, cur, cui vivas. Si hoc per exiguo, tibi à DEO indulto, ad vivendum tempore, vivas tibi, si carni, si mundo, si voluptati, si honori, si gloriæ, si creaturis; brevi, brevi, & fors opinione citius, expectatione celerius, aderit summa dies, & illius diei hora novissima, & illius horæ momentum ultimum, tibi infaustissimum, quò omnium præteritorum memor, cum immenso cordis dolore, & pectoris gemitu, & vocis singultu, pronuntiabis illud Christi, sed non ut Christus, *Consummatum est.* Ah! recordor cum essem adolescens, cœpi jam tunc ambulare per viam latam, & spatiosam quæ ducit ad perditionem: ducebam tunc ipse malus in bonis dies meos. O quàm amara est temporis illius memoria, dum jam video, quia *consummatum est.* Memini, cum essem juvenis in Academia, dicebam mihi ipse in corde meo, quod Salomon: *Vadam, & affluam deliciis, & fruam bonis.* Nec satis fuit me unum frui bonis; sed & alios, ut fruerentur bonis, invitavi dicens: *Venite, fruamur bonis quæ sunt, & utamur creaturâ, tanquàm in juventute celeriter;* Et totum illud tempus *tanquàm vapor ad modicum parens, consummatum est.* Dum totum repeto antea vitæ tempus, verè possem dicere, quod de se Salomon: *Omnia quæ desiderarunt oculi mei, non negavi eis: nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur, & oblectarer in his quæ preparaveram; & nunc horum omnium memor, quàm lætus vixi, tam tristis morior: quia video totum illud, unde lætabar, consummatum est.* Quidquid unquam percepi gaudij corde, & animo è divitijs, ho-

Quivis  
moritu-  
us di-  
et:

Con-  
summa-  
um est,  
lis pari  
quam  
ensu  
boni, &  
nali.

Eccl. 2. 1  
Sap. 2. 6.  
Iac. 4. 15.

Eccl. 2.  
10.

honoribus, convivijs, tripudijs, spectaculis, lubbus, cantibus, colloquijs, plausibus; quidquid hausi voluptatis visu, tactu, gustatu, odoratu, auditu, ullo sensu, omnia illa transierunt tanquam umbra, & illorum omnium tempus, nullo sui relicto vestigio, nisi amaræ poenitentiz, consummatum est. Sic quisquis tibi vivis, & non illi, qui pro te mortuus est, brevi dum vivere desines, & mori incipies, omnis consummationis videbis finem, descendurus in locum tormentorum, ubi nullus est finis O beatum me, si tunc, quando sonabit novissima hora, quando in ictu oculi claudentur omnia, possem te hisce postremis verbis alloqui! O Christe, quem semper dum vixi, dilexi ex toto corde meo, ex totâ animâ meâ, & ex omnibus viribus meis: tu dixisti omnibus quidem, sed mihi potissimum ad cor: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus; & habebis thesaurum in cælis, & veni, sequere me.* Audivi vocem tuam, feci, vendidi, veni, secutus sum te, *Consummatum est.* *Tuum fuit promissum: Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Propter te reliqui omnia, qui unus mihi eras instar omnium, & illud cogebat præceptum, sed quod alliciebat consilium, *Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me.* Audivi consulentem, amplexus sum consilium, tuli crucem meam, *consummatum est.* Sic consummatus in brevi, explevi tempora multa quia te dilexi multum. Et nunc quia *carsum consummavi, fidem servavi,* & feci quod præcepisti, tu redde quod promissisti.

Matt. 19.

2.

Matth.

19. 29.

Matth.

16. 24.

2. Tim.

4. 7.

Fe-

Felix ter felix, æternum felix, qui eâ fiducia, dum imminet ultimum vitæ momentum, potest dicere: *Consummatum est.*

## §. XIII.

*Ultima Christi verba.*

Apoc. i.

Ioan. 16.

46.

Psa. 95. 4

Luc. 23.

46.

Gen. I. I.

**P**ost omnis consummationis finem, illi, qui est principium & finis, superest ultimus actus, isque Christo longe difficillimus, nobis utilissimus, toti mundo optatissimus, ut illi, à quo in utero Matris acceperat, in patibulo crucis, Patri tradat spiritum, & ita redimat mundum. Dicebat ergo tacite secum in corde suo: *Exivi à Patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Sic ipse tacite secum sine voce: deinde, *Magnus Dominus, cuius magnitudinis non est finis, clamans voce magna, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* A principio quando creavit **DEVS** cælum & terram, nihil unquam creavit, nec creabit aliquid præstabilius, aut pretiosius, aut sanctius, quam erat Christi spiritus. Ille est spiritus, quem debet laudare omnis spiritus: per quem spirant, & ad quem aspirant, & in quo respirant, & respirabunt omnes beati spiritus tam hominum, quam Angelorum. Tradidit Christus Corpus suum potestati Judæorum, ut illud pro arbitrio suo omni crudelitatis carnificinâ cruciarent, discerperent, lacerarent: Sed nullam in spiritum eius saviendi habebant potestatem: Solum ergo spiritum, ut Patri traderet, reservavit, ut Pater illi eundem post triduum redderet, & corpori restitueret. Proh **DEUS** immortalis! tantine valet salus unius animæ, ut pro mea salute, Anima Christi tam crudeli morte separanda fuerit

fuerit à corpore? Ergone ego tanti valeo, quanti sanguis & vita Christi? Ergone post tot impensas me perdam? Non suppetunt hic mihi verba, quæ loquar; itaque loquatur pro me verè hic totus melleus & lacteus Bernardus: *Quod si totum me debeo pro me facto, quid pro me refecto; & refecto tali modo? Nec enim tam facile refectus quàm factus. Nam qui me semel, & tantum semel dicendo fecit, in reficiendo profecto & dixit multa, & gessit mira, & pertulit dura, sed indigna. Quid ergo retribuam Domino, pro omnibus quæ retribuit mihi? In primo opere me mihi dedit; in secundo se: & ubi se dedit, me mihi reddidit. Datus ergo & redditus me pro me debeo, & bis debeo. Quid DEO tribuam pro se? Sic ipse, nimirum in tota Christi passione hoc est in primis expendendum, & æstimandum, Christum scilicet se totum nobis dedisse, nihil sui reservando. Jam verò ubi Christus se totum amore toto, corpore toto, sanguine toto, animâ totâ tibi tradidit, quid tu illi ex te toto, Christo reddidisti? Si dentem pro dente, oculum pro oculo, imò totum pro toto reddere oportet, tunc unquam propter Christum, pro te & passum, & mortuum, & totum tibi traditum, propter nimiam illam, quâ te dilexit, charitatem, vel semel oculos avertisti ne viderent vanitatem? Oculos ergo alteri tradidisti. Potesne meminisse te unquam propter Christi manus perforatas clavis, & cruci affixas, ab illicito opere manum continuisse? Negasti ergo illi & manus, tu qui es opus manuum ejus. Auderesne afferere, te propter linguam Christi, felle, & aceto potatam, vel semel compressisse linguam tuam à maledictis, contumeliis, mendaciis, juramentis? Linguam ergo illi subtraxisti. Alia jam aspice, & inspice, & totum te per circuitum circum-*

Tract. 4  
dilig.  
Deo.

Christo  
omnia  
nega-  
mus &  
aliis  
tradi-  
mus.

spice; vide quid ex te toto, Christo tradisti? quot quot in corpore tuo recensentur membra, tot tibi fuerunt, quibus Christum oppugnasti, arma. Hi sunt, piissime Jesu, fructus tuæ passionis. Ideò in nos fuisti tam bonus, ut nos essemus mali: ideò misericors, ut nos immisericordes: ideò te in nos exhibuisti tam pius, ut nos essemus impii? Ad similes vereor ne idem dicat moriens in Cruce Christus, quod olim scribens ad quosdam Paulus. Sic enim Paulus: *Timeo de vobis, ne sine causa laboraverim in vobis.* Frustra pro vobis de cælo descendi, & factus sum homo: frustra pro vobis in stabulo natus, in præsepio reclinatus, octavo die circumcisus frustra per 33. annos in fame, & siti, & frigore, & æstu, & sudore vultus mei, & sanguine totius corporis, quæsiui te ovem perditam: frustra tot opprobria, alapæ, sputa, flagella, spinæ, clavi, crux, vita, mors, omnia. Sine causa laboravi, quia laboris fructum nullum retuli. Non tantus est Christo dolor pro te sic laborasse, quantus, nihil suo labore profuisse. O miseri, & per omnem æternitatem futuri miserimi! quibus tam copiosa redemptio, redemptorum erit perditio, & ipsa Christi passio, illorum, pro quibus est passus, condemnatio. Præstat hominem illum nunquam fuisse natum, quam Christum frustra pro illo fuisse passum. Hoc ne mihi contingat, ad te me converto, qui pro me, ne morerer, es mortuus. Os meum applico ori tuo, ut suscipias verba mea, postquam tu jam protulisti ultima verba tua. O sacrosanctum os, unde tot æternæ Veritatis oracula promanarunt, & promissa omnium bonorum. Ex illo sacratissimo ore prodire hæc *Luc. II.* verba: *Petite, & accipietis.* Unum est quod peto, & secundum non adjiciam, & per os tuum divinissimum,

simum, quod jam aperis, ut in manus Patris emittas spiritum tuum, peto, ut dum ego aperiam os meum, ut emittram spiritum meum, ex hoc ore eadem prodeant, quæ cum morereris, ex ore tuo, hæc ultima verba: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

## §. XIV.

*Inclinat caput.*

SEquitur ultimum ordine, sed primum dignitate de Christo patiente mysterium, quod est omnium prodigiorum longè maximum, mors DEI immortalis. Itane verò? ergo ut vivat vilis vermiculus terræ, moritur Dominus cæli! Quamdiu procabit amorem meum Amor divinus? Quot ludos aget? quot scenas peraget? quot personas sustinebit? Egressus est ut sponsus, currit ut gigas, jacuit ut infans, fugit ut exul; ambulavit ut peregrinus, obedivit ut subditus, ministravit ut servus, luctatus ut miles, docuit ut Magister, sanavit ut Medicus. Et quas non scenas in gratiam mei egit in præsepiti, in stabulo, in fœno, in domibus, in vicis, in compitis, in castellis, in Templis, in Synagogis, in oppidis, in urbibus, in solitudine, in montibus, in vallibus, terra, ac mari? in horto Gethsemani, in domo Annæ, in ædibus Caiphæ, in prætorio Pilati, in palatio Herodis, & tandem in paribulo crucis? Adhuc pergit amare hominem Jesus? necdum incipis amare ô homo JESUM! Post omnia moritur ut reus. Antequam moreretur, tacite secum ingeminabat hæc verba Prophetæ: *Quid est quod debui facere vi-*

Christi  
in nos  
benefi-  
cia.

Isa. 4. 5.

Et uses homo: cum esses in cœlo, descendisti ad  
 terram, delevisti chirographum mortis, solvisti  
 debitum peccati, totum hominem sanum fecisti,  
 perditum mundum redemisti. *Quid ultra debuisti  
 facere, & non fecisti?* Nunc transi ex mundo ad Pa-  
 trem. Reliquisti nobis carnem in cibum, langui-  
 nem in potum, vestes in operimentum, merita in  
 pretium, Sacramenta in pharmacum, teipsum in  
 pretium. *Quid ultra debuisti facere, & non fecisti?*  
 Creasti animam nostram ad imaginem tuam,  
 corpus de luto terræ formasti, dedisti Angelos  
 nobis in ministros, animantia in usum, totam  
 terram in domicilium, cœlum in regnum. Claude  
 jam oculos, morere tandem. *Quid ultra debuisti fa-  
 cere, & non fecisti?* Sudasti ut agonizans, compre-  
 hensus es ut fur, cæsus ut mancipium, velatus ut  
 pseudopropheta, accusatus ut seductor, conspu-  
 tus ut blasphemus, illusus ut stultus, crucifixus ut  
 latro: *Quid ultra debuisti facere, & non fecisti?* Præ-  
 cepisti soli ut nos illuminaret, terræ ut sustineret,  
 igni ut calefaceret, aquæ ut lavaret, aëri ut reso-  
 cillaret. *Quid ultra debuisti facere, & non fecisti?* Re-  
 quiesce tandem ab universo opere, quod patra-  
 sti. Quiescat jam tua justitia in puniendo homi-  
 ne. Sapientia in excogitando quid possit facere  
 homini, misericordia in conando benefacere ho-  
 mini, bonitas in amando. Cum jam nihil supersit  
 ultra quod possis facere pro homine, tandem  
 morere. Itaque Amor ille æternus, cum ultra non  
 esset quo se proderet, faciendo, vel patiendo, op-  
 presso immenso amoris pondere, quo antea in-  
 clinaverat cœlos, & descenderat ad terras, incli-  
 nat caput ut descendat ad inferos. Nec sine arca-  
 no mysterio id fecit, altoque Sacramento. Pri-  
 mùm, ne post digna æternis suppliciis scelera, pu-  
 taret

taret mundus JESUM hominibus implacabiliter iratum, offensumque è mundo abire, averfus à cœlo, conversus ad homines, versus terram caput inclinat, antequàm expirat. Deinde spiritum quem jam Patri commendaverat, effusus in Matrem stantem juxtà crucem, supremum halitum ad illam direxit; ut inde mundus edoceret, neminem securiùs exire è mundo, quàm qui extremum spiritum dirigit ad Mariam. Ad hæc, inditurus meliorem animam telluri DEUS, pronâ facie spiravit in illam secundò spiraculum novæ vitæ. O JESU, video, hora est ut transeas à nobis ad Patrem; morere ergo vita nostra, morere. Suspensa sunt omnia in cœlo & in terra, summa expectatione mortis tuæ. In te unum jam morientem omniù oculi, atque ora convertuntur. Expectat Pater tuus apertis manibus, ut spiritum sibi commendatum excipiat: expectant Angeli, ut tibi de cruenta victoria applaudant, & gratulentur: expectat limbus, ut tuo splendore illustretur: expectant captivæ tot sæculi animæ, ut per te libertati restituantur: expectant peccatores, ut pectora ex dolore percutiant: expectat terra, ut tremoribus concutiat; petræ, ut scindantur, monumenta ut aperiantur, velum templi, ut scindatur: expectat mundus, ut tua morte renoveretur, expectant homines, ut redimantur, denique condita omnia in cœlo, & in terra, totaque rerum universitas mortem tuam, tanquàm rem maximi momenti, infiniti ponderis, ac immensi stuporis, à quo rerum omnium salus dependet, avidissimè expectant. Christus ergo quasi annuens omnium votis & expectationi, inclinat caput, quasi dicat: *Levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra.* O JESU, priusquàm moreris,

Christi  
mors  
omniù  
expe-  
ctatissi-  
ma.

Luc. 21.  
28.

Bb 3

leva-

levamus capita nostra ad te, qui inclinas caput tuum ad nos. Domine inclina aurem tuam, & exaudi nos. Unum autem jam petimus: dum abis è vita, & è mundo, Mane nobiscum Domine, quoniam adven-  
 Luc. 24. sperascit, & inclinata jam est dies: ut per te, qui in-  
 28. clinasti cœlos, & descendisti; per te, & mortem tuam, ascendamus ad cœlos.

## §. XV.

## Valedicit omnibus.

**I**Nter alias rationes cur Christus caput inclinet, hæc non est postrema, ut extremum diceret vale toti mundo, & omnibus qui erant in mundo, quasi diceret: Vale terra, quam lachrymis, sudore, sanguine toto ex omnibus venis prodige effuso, toties irrigavi. Vale aër, in te hæctenus spiritum duxi, & spiravi, nunc ecce, tempus est ut expirem. Vale popule mi dilecte, & è millibus electe, non feci taliter omni nationi. Sicut mater uni-  
 2. Reg. 1. cum amat filium suum, ita ego te diligebam. Inveni te in  
 26. terra deserta, in loco horroris, & vasta solitudinis: circumduxi te, & docui, & custodivi, quasi pupillam oculi mei. Sed eheu! DEVM qui te genuit, dereliquisti, &  
 Deut. 32. oblitus es Domini Creatoris tui. Vale Jerusalem, cu-  
 19. jus vicus, & plateas toties in sudore vultus mei obambulavi, in cujus Synagoga, & Templo prædicavi regnum DEI: Jerusalem, cujus filios toties volui congregare quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti: Jerusalem, quam olim per  
 Num. 18. Prophetam meum admonui: Surge, illuminare Ierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est: quia ecce tenebra operient terram, & caligo populos, super te autem orietur Dominus. Imò jam pridem super te ortus fui, quando juxtà muros tuos natus fui in Bethleem. Tunc visitavi te oriens ex  
 alto,

Matt.

23. 37.

Isa. 6. 1.

alto, sed non cognovisti tempus visitationis tuæ.  
 Jam non amplius super te orietur Dominus. sed  
 ecce morietur Dominus tuus. Jam filii tui pupilli  
 erunt absque patre. Vale Jerusalem, quam cum  
 nuper vidi, flevi, qui flenda brevi patieris. Adhuc  
 enim 40. anni, & tu Jerusalem subverteris. Et tu  
 charissima Mater, extremum vale. Accepi ex te  
 corpus, in te spiritum, illum jam tradam in manus  
 Patris. Vidisti me olim infantem nascentem in  
 præsepio, mediâ nocte; vides jam morientem in  
 patibulo, media die. Ita, Mater, quia sic placitum  
 fuit ante Patrem. Scio, Mater, quia magna est ve-  
 lut mare contritio tua; sed hoc scito, quia non est  
 dolor sicut dolor meus. Vale mater, ecce Filius  
 tuus moritur juxtâ te, qui conceptus est de te. O  
 afflicta mulier, quis Medicus vulnera tua curabit!  
 cum jam ille, qui sanabat omnes, moriatur? O  
 Consolatrix afflictorum? si quidem afflictiones  
 tuæ numerari non possint, quis medebitur tui,  
 cum jam ille, qui est lumen oculorum tuorum,  
 claudat sua lumina, nec te amplius aspiciat? Quis  
 te consolabitur? siquidem ille, cujus causa doles,  
 cujus gratia suspiras, jam expirat? O quale my-  
 sterium! videre Filium derelictum à Patre, Ma-  
 trem derelictam à Filio. Filium inter extremos  
 dolores morientem, Matrem præ extremo dolo-  
 re, vix viventem? Descendebat ad Matrem san-  
 guis è corpore Filii, ascendebant ad Filium gemitus  
 ex pectore Marris. Illa propter Filium jugiter  
 suspirabat, ille juxtâ Matrem miserè expirabat.  
 Hæccinè Regina cœli? Hiccinè Rex cœli, & ter-  
 ræ? Siccinè audes sperare cœlum ô Christiane,  
 tam dissimilis Christo? Illi in capite spinæ, tibi in  
 capite rosæ: ille inter pœnas, tu inter delicias: illi  
 in ore fel & acetum, tibi mel & vinum: ille cru-

Pati hie  
 neces-  
 sarium.

entus in torculari, tu marcidus in lupanari : ille inter contumelias & opprobria, tu inter plausus & gratulationes. Erras à via, qui à tam longe sequeris eum, qui est via. Oportuit Christum pati: pati? imò & mori, ut intraret in gloriam suam. Et tu refugis pati, ut intres in gloriam alienam? Sed quem oportuit pati, jam est passus: superest, ut qui pro nobis voluit pati, velit & mori. Scio morieris tu, Rex sæculorum immortalis, ut vivam ego vitam immortalem. Imò jam morieris: quia ut video, inclinatum est caput, & clauduntur oculi, & rigit corpus, & vita deficit. Vale mi Creator, vale Redemptor, vale gaudium cordis mei. Tempus est ut abeas ex hoc mundo ad Patrem. Sed dum jam abis, *petitionem unam parvulam ego deprecor à te; obsecro ne confundas faciem meam.* Repete hæc pauca verba coram Patre post mortem, quæ dixisti Patri ante mortem: *Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum.*

3. Reg. 2.  
20.

Ioan. 17.  
24.

§. XVI.

*Moritur.*

**T**Andem aliquando post diuturnam per 40. sæcula, cœli, terræque expectationem, adest dies ille expectatissimus, atque hora felicissima, omnium maxima, atque sacratissima, in qua primum ac summum omnium mysteriorum ab orbe condito, ad infinitam usque æternitatem peractum, & consummatum est. Dies jam adest quasi criticus, & decretorius mundi jam animam agentis, ut in statum florentissimum restauretur. Dies, & hora placabilis Domini, quâ cogitans cogitationes pacis, & non afflictionis, mundum tacitis clamoribus invocantem, cum universitate omnium creaturarum exaudivit. Stabat ad dexte-  
ram

ram crucis Misericordia cum oliva; ad sinistram  
 Justitia cum romphæa, ut tandem Christi morte,  
 dirempta lite, inita pace se invicem osculentur.  
 Christus ergo ut vidit jam illud infiniti momen-  
 ti adesse momentum, quod ab omni retro æterni-  
 tate, in arcano SS. Trinitatis Concilio fuerat de-  
 lectum, & præfixum, ut hominem perditum re-  
 dimeret. Anno ab orbe condito quando in prin-  
 cipio creavit DEUS cælum & terram 4086. Im-  
 perii Romani 81. Tiberii Augusti 20. B. Virginis  
 49. Olympiade 203. orbe jam toto Patri recon-  
 ciliato, debellato peccato, subactio dæmone, in-  
 stitutis sacramentis omnibus, affixo jam Cruci  
 chirographo decreti illius fatalis, omnibus jam  
 consummatis, quæ de ipso vel præfiguraverant  
 Patriarchæ, vel prædixerant Prophetæ, vel à Patre  
 ejus fuerat constitutum, omnibus ritè expletis ad  
 salutem mundi necessariis, æterni Patris unigeni-  
 tus Filius, quem inæstimabilis charitas, & in per-  
 euntes homines amor, traxit in terras, qui propter  
 nos homines, & propter nostram salutem, factus  
 est homo, hora à meridie tertia, in monte Calva-  
 riæ, factus Patri obediens usque ad crucem, ut ei-  
 dem obediret usque ad mortem Crucis, pro salute  
 mundi, & humani generis redemptione, JESUS  
 Christus, incarnatus DEI Filius, inclinato capite  
 tradidit spiritum. Mortuus est DEUS, & adhuc lu-  
 bet vivere? Ille, cui omnia, & per quem omnes  
 vivunt, desit vivere, quis hoc audiens non moria-  
 tur? Quis adhuc ducat spiritum, dum ille, ex quo,  
 & in quo, & per quem omnes spirant, tradidit  
 spiritum? Filius DEI expiravit, & Filius hominis  
 adhuc peccabit? Nunc per omnes terrarum re-  
 giones, immenso clangore, longè, lateque instar  
 sonori classici, circumsonet vox illa Pauli, ut ab

2. Cor. 6

Isa. 43.

Pretio  
magno  
emptus  
est ho-  
mo.  
Barri  
blandit.  
p. 260.

omnibus ubique gentium hominibus percipia-  
tur: *Non estis vestri: empti enim estis pretio magno.*  
Id enim certo est certius, & vero verius: omni  
quod potest concipi jure, omnibus qui fingi pos-  
sunt titulis, omnibus quæ allegari possunt nomi-  
nibus, potest nos Christus sibi tanquam suos vin-  
dicare, & cuilibet homini injectâ manu dicere,  
quod Israël dixit apud Isaiam: *Meus es tu.* Post-  
quam pro te inclinato capite tradidi spiritum,  
jam infinitis titulis, *meus es tu,* jam defuisti esse tuus,  
quia *meus es tu.* Ego te venditum redemi, perdi-  
tum servavi, captivum liberavi, mortis reum vitâ  
donavi; ergo *meus es tu.* Meritò ergo clamat Di-  
vus Paulus: *Non estis vestri: empti enim estis pretio  
magno.* Non est homo qui potest concipere, sed  
solus DEUS potest intelligere, quàm sit immensa  
magnitudo hujus pretii. Sed ut possitis illud cæca  
saltem conjectura, si non certa scientia assequi;  
audite, & stupete. Si credimus variis Sanctorum  
revelationibus, Christus, ut nos redimeret, pro-  
fudit sexagies, & bis mille lacrymas: guttas san-  
guinis cum in horto sudaret, 305. supra nonagies  
ac septies millenas. In flagellatione sexies mille  
666. ictus excepit: alapas 110. ictus in collo 120.  
in capite 85. in ventre 38. in humeris 62. in bra-  
chiis 40. *Empti estis pretio magno.* Necdum finis.  
Videre quid in facie pertulerit: 32. in faciem  
ejus sordida sputa coniecta sunt: os illi trigiesies  
contusum: instar canis pedibus abjectus centies  
septuagies: ter decies profusus, & solo afflictus:  
capillis trecenties tractus, barba illi evulsa; aut  
hinc inde implicata manu distracta, quinquagies  
octies. *Empti estis pretio magno.* Necdum finis pre-  
tium. In coronatione 300. vulnera à spinis impres-  
sa: ob nostra peccata, pro nostrâ salute nongen-  
ties

ties gemuit, & suspiravit : tormenta quæ poterant ei præsentem mortem inferre, 162. subiit: supremo in agone, quali jam moriturus, decies ac nonies fuit. A Pilati prætorio usque ad montem Calvariæ portando crucem 321. passus confecit. An non ergo *empti estis pretio magno*? Et tamen post tot debita ex parte tua, post tot beneficia ex parte Christi, nonne tibi ingrata anima meritò posset exprobrare Salvator tuus quod apud Isaiam; *Obli- lita es DEI Salvatoris tui, & fortis adjutoris non es re- recordata*? O Christe! quid aliud jam tibi offeram Isa. 7. pro omnibus pœnis quas passus es, nisi me pro quo passus es? Hoc mihi jam certum, quia tu mortuus es pro me, mori mundo, mori mihi, mori omnibus quæ sunt mundi, ut tibi soli deinceps vivam, ô vita mea! Adrepo ergo manibus, & pedibus per montem Calvariæ, ad tuam Crucem, tanquàm miserorum asylum; ad te crucifixum, non jam fulmine armatum, sed plagis multis vulneratum, & exclamo contritus, & gemens: Parce mihi Domine, quia tu non pepercisti, ut parceres mihi: quia ut me sanares, vulneratus es; ut ego viverem, mortuus es; ut ego declinarem à malo, & facerem bonum, atque ita obtinerem summum bonum, declinarem summum malum, inclinato capite tradidisti spiritum.

## §. XVII.

*Signa post mortem.*

**C**UM inter cœli obscurati cæcas tenebras, & caliginem, solis deficientis pallorem, noctis diurnæ silentium, inter frigora, & lævientium ventorum turbines, inter hostium suorum ludibria & scommata, sexcentis cruciatibus exhaustis medio in aëre Christus spiritum Patri reddidisset, repen-

repentè, velut è cœlo, signo dato, cœlum & terra  
 cœperunt simul pati, ubi desierat pati is, cui data  
 est omnis potestas in cœlo & in terra. Sol in cœli  
 statione medium cursum tenebat, cùm ecce ex-  
 tinctis omnibus luminaribus, densa, atra, spissa, &  
 Ægyptiaca nox incubuit mundo: totus aër tene-  
 bricosâ caligine inhorre: terrarum machina  
 imis quassata sedibus, omnibus concussis cardi-  
 nibus tremefacta nutare, ac fluctuare, sepulchre-  
 ta moveri, tumuli aperiri, mortuâ funere excita-  
 ri, velum Templi ab imo ad summum scindi, ac  
 in binas partes disrupti, elementa omnia tumul-  
 tuari, natura universa quasi in antiquum chaos  
 resolvi, condita omnia cum suo conditore velle  
 interire. Si fors inquiras, propter quem tempe-  
 stas hæc grandis venit super mundum? Intelliges  
 ubi audieris, quæ sequitur, historiam. Olim cùm  
 Amalecita quidam juratum Davidis hostem Sau-  
 lem occidisset, venit ipse concito gradu ad Davi-  
 dem, ut hoc ipsi quasi præclarum facinus annun-  
 tiaret: narravitque modum, quo Saulem inter-  
 emerat. Tunc ( inquit Sacra Regum historia ) ap-  
 prendens David vestimenta sua scidit, omnesque viri,  
 qui erant cum eo, & planxerunt, & fleverunt, & jeju-  
 nârunt usque ad vesperam super Saul. Dixitque David  
 ad juvenem qui nuntiaverat ei: Vnde es tu? Qui respon-  
 dit: Filius hominis advena Amalecita ego sum. Et ait  
 ad eum David: Quare non timuisti mittere manum tu-  
 am ut occideret Christum Domini? Vocansque David  
 unum de pueris suis, ait: Accedens irruè in eum. Qui per-  
 cussit illum, & mortuus est. Et ait ad eum David: San-  
 guis ejus super caput tuum, os enim tuum locutum est su-  
 per te, dicens: Ego interfeci Christum Domini. Adite  
 jam tacitis cogitationibus Jerosolymam. Civitas  
 in armis est universa: populus stat attonitus, tota  
 terræ

2. Reg. I.  
 II.

terræ facies atra eclipsi obnubitur, cœlum gemit,  
 lapides dissiliunt, natura tota trepidat, stat ere-  
 dum in Golgothæo monte funestum crucis thea-  
 trum. Cur tam insolentibus moribus tota rerum  
 universitas turbatur? Unde hæc tam fœda tem-  
 pestas? Ah! propter me tempestas hæc grandis  
 venit super mundum. Propter te? Quid ergo fe-  
 cisti? Ah! quid petis digna æterno sepeliri silen-  
 tio? Quid fecisti? Heu! frustra sileo, quia pecca-  
 tum meum contra me est semper, Frustra abscon-  
 do, quia nihil absconditum quod non reveletur.  
 Quid fecisti? Ah! confusio cooperuit faciem  
 meam: timor, & tremor venerunt super me.  
 Quid fecisti? Ah! noli petere, quod vel scelus est  
 dicere. Circumfusus cœli, jam propter me ob-  
 scurati terrifico horrore, quia inter homines non  
 vixi ut homo, deseram hominum cœtus, deserta,  
 & solitudines petam, saxa & rupes, & antra, &  
 cavernas, & spelæa, & belluarum lustra luci im-  
 pervia incolam. Hæc requies mea sine requie. Ibi  
 inter specus & antra in loco horroris, & vastæ so-  
 litudinis, adjuro te ô Echo, meis mœroribus, e-  
 julatibus, & amaris vociferationibus responde,  
 & cum totâ intentione voces istas doloris mei  
 testes ingeminavero, nimirum, *pereat dies, in qua*  
*peccavi*: dies ille vertatur in tenebras; quia ecce  
 propter peccatum meum tenebræ factæ sunt su-  
 per universam terram. Hastu voces Echo sæpius  
 ingemina. Quid fecisti? Ergone prodibit ex ore  
 meo vox illa, ad quam tinnient ambæ aures om-  
 nium hominum? Vox illa, ad quam obstupescant  
 cœli, contremiscet terra, pavebit mare? Vox illa,  
 quâ prolatâ, clamabunt contra me omnia vindi-  
 ctam? Ad cujus sonitum concutietur DEI tribu-  
 nal? Ah! tonitruanti voce undique contra me  
 fulmi-

Iob. 3. 2.

fulminant, & contra me clamant, cœlum, terræ, DEUS, & super omnia, conscientia mea. Quid fecisti? Dicam tandem, sed priusquàm dicam, obtestor, & oblecro, fugite Angeli, fugite dæmones, fugite homines: ah! nulla sit quæ hanc meam detestandam, & perennibus lachrymis, ac æternis gemitibus deplorandam vocem repetat Echo. Dicam, sed cum rugitu leonis, cum ejulatu, singultu, planctu. Accipite funestam vocem impii parricidæ, ac dein æternum silebo, EGO INTER-FECI CHRISTVM DOMINI.

2. Reg. 1.  
11.

## §. XVIII.

*Conversio Centurionis & aliorum.*

POST cœli, terræque horrida illa portenta, aliud non minus sequitur admirandum; nam Centurio, & qui cum eo erant custodientes IESVM, viso terra motu, & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Vere Filius DEI erat iste. Expendebant secum taciti insolentia cœli, terræque prodigia, quæ spectaverant, ac potissimum terræ motum. Non dubium, quin mons Calvariæ, & vicina huic Jerosolymæ civitas contremuerint. D. Anselmus testatur, lapidem, cui superposita erat crux Christi, disruptum tunc fuisse. D. Hieronymus asserit, superliminare templi, infinitæ magnitudinis fractum, atque divisum fuisse: itemque Angelos præsides auditos fuisse dicere: *Transeamus ex his sedibus.* Deinde videntes sepulchra disjectis terræ motu aut fissis marmoribus, quibus tegebantur, aperta: diffusionem petrarum, solis deliquium; Jesu patientiam, ac pietatem, denique moribundi vastum clamorem: his omnibus ritè expensis, *timuerunt valde*, ne ob scelus admissum in innoxium DEI Filium, immineret ipsis vindicta divina. Prætereà omnes,

Matt.  
21. 34.

L. de  
Pass.  
Dom.  
In cap.  
27.  
Matt. h.

omnes, qui ex morte venerant ad supplicii spectaculum, percutiebant pectora sua in signum pœnitentiæ; testante hoc Evangelista: *Et omnis turba eorum, qui simul aderant ad spectaculum istud, & videbant quæ fiebant, percutientes pectora sua, revertentur.* Hoc non est mirum, illos percussisse sua pectora, post tot commissa scelera, post tot visa in cœlo, & terra prodigia: plus miror me tot inuitatis naturæ portentis, non magis commoveri, cum hæc omnia propter mea scelera contigisse fide certissimâ credam. O cœlum! ô terra! ô creata omnia! Si authorem quæritis naturæ sic perturbatæ, præsto sum; in me fulmina & ignes, in me procellæ & undæ, in me cœlum & terra, in me elementa omnia conspirent: in me bestiarum furor, canum rabies, leonum rictus, tigridum ungues, urforum dentes, taurorum cornua, avium rostra, draconum linguæ armentur. & sæviant. Me, me, adsum, qui feci, in me convertite tela, & iras, & quidquid iræ horridum, inimicum, crudele, asperum, exitiale suggerunt. O dolores! qui usquam & unquam fuistis, in me irruite. En cor meum totum, & penitus vobis in prædam cedo. Dividite illud, discindite, discerpite, fodicate, laniate, urite, in fumum & cineres redigite; quia quem ego interfeci, *vere Filius DEI erat ipse.* Nam DEUS est charitas: in illo autem sive audias loquentis verba, sive inspicias cogitationes, aspicias opera, omnia singula, universa, nil spirant nisi charitatem, ita ut Paulus verè appellaverit *Charitatem nimiam, qua dilexit nos.* Sufficiebat pro salute totius mundi unicum suspirium; voluit subire crucis supplicium: Satiserat si stillasset è divinis oculis lachrymula; voluit quidquid fluebat per venas sanguinis, cum copia instar aquæ effundere. Sa-

Ephes.

2. 40

re. Satis erat pro nostra Redemptione movisse semel pedem; voluit currere per urbes, pagos, castella, regiones, per alta montium, per humilia vallium, per plana camporum. Satis erat pro omnium vita, apud Patrem unico perorasse verbo; voluit non tantum multa pro nobis loqui, sed & plurima pati, ac denique mori: Charitate nimiam dilexit nos. Vere ergo Filius DEI erat iste. DEUS Charitate nimiam dilexit hominem, homo vero crudelitate nimiam eum interfecit. Deberet ex doloris magnitudine propter tam detestandum facinus, totum corpus, uti terra contremiscere pectus, uti monumenta, aperiri; cor, uti petrae findi; imò uti velum Templi in medium scindi: sed qui charitate nimiam dilexit nos, putat hoc nimium: nil à nobis exigit pro tota illa, ac tam luctuosa tragœdiæ, quam exhibuimus, scena, pro tot illi inflatis vulneribus, pro exhausto sanguine, pro laceratis ejus membris, pro morte denique illata, nihil aliud cupit quam ut exemplo vel Publicani in Templo, vel Centurionis in monte percutias cum dolore pectus; percussio pectore, absolveris à crimine. Fateor, ô Jesu, hoc esse pectus, quod commisit scelus, propter quod tu à Patre percussus es; nam testatur Pater tuus: *Propter scelus populi mei percussi eum.* Hoc est illud pectus, in quo latet cor illud pravum, de quo exierunt cogitationes male, homicidia, adulteria, fornicationes &c. Hoc ergo pectus quanto possum maximo dolore percussio, ut possum aliquando in cœna illa tua magna cum dilecto tuo Discipulo, post sapius percussam pectus meum, recumbere super pectus tuum.

Isa. 33. 8.

Matt.

15. 19.

## §. XIX.

*Aperitur lancea pectus.*

**O**mnis consummationis vidi finem, canit David; & *Rsal. 118.*  
 Omnis consummationis vidit finem JESUS *96.*  
 Filius David; sed qui in finem dilexerat suos, etiã  
 post vitæ finem non destitit diligere, in cujus si-  
 gnum voluit sacratissimum suum latus aperiri, ut  
 ad illud velut ad Arcã columbæ seductæ revola-  
 rent. Quare *Vnus militum lancea latus ejus aperuit, Ioan. 19.*  
 & continuo exivit sanguis, & aqua.

Ecce lancea apertum latus Christi, & in latere  
 cor illud, quo nos omnes tanquam fratres, à pri-  
 mo quo conceptus est momento, fuit complexus  
 immenso amore. Silet jam ejus lingua, quia caret  
 vitã : sed cor ejus ex hoc monte excelsissimo,  
 quasi tuba exaltat vocem suam. Toties audivi-  
 mus in vita vocem divinissimi ejus oris, nunc au-  
 diamus post mortem vocem amabilissimam cor-  
 dis. Clamat cor ejus ad omnes scordes, & ve-  
 cordes : *Redite, redite pravaricatores ad cor.* Nos *Ezech. 18.*  
 ergo excordes, ut redeamus ad cor, inspiciamus *32.*  
 sacratissimum illud cor, in quo absconditi sunt  
 omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ DEI. Si  
 quæras cur Filius DEI talia, tam multa, tam indi-  
 gna nostri causã sit passus; singulorum causas in  
 corde hoc expressas invenies. Sic ergo cum mu-  
 tum sit illi os, loquitur tibi ejus cor. Angustias  
 tuli, ut te ab angustiis mortis liberarem: timui,  
 ut te securum redderem: vigilavi, ut te à pecca-  
 ti somno excitarem: oravi, ut tibi dona impe-  
 trarem: sudavi, ut putridum tui peccati humo-  
 rem à te expellerem: comprehensus sum, ut te ad

me traherem, & tu braviū comprehenderes :  
 ligatus, ut te solverem: vili pretio venditus, ut te  
 redimerem: negatus à Petro, ut te coram Patre  
 confiterer; derelictus ab Apostolis, ut me indivi-  
 duum tibi præstarem comitem : accusatus, ut te  
 excusarem; velatus facie, ut illam tibi in cœlo  
 cum summa gloria revelarem; nudatus vestibus,  
 & iterum indutus, ut te veteri Adamo spoliarem,  
 & novo induerem homine qui secundum Deum  
 est: flagellatus, ne te Pater flagellaret peccato-  
 rem multis flagellis: damnatus ab iniquis judici-  
 bus, ut damnatum ad æternam mortem absolve-  
 rem: ejectus extra civitatem Jerusalem, ut te in  
 cœlestem Jerusalem admitterem: bajulavi cru-  
 cem, ut pondus peccatorum à tuis humeris in  
 meos transferrē: corona spineâ redimitus, ut pa-  
 rarem tibi coronam gloriæ: sitivi, ut te potarem  
 torrēte voluptatis: clavis confixus, ut te expecta-  
 rem: extendi brachia, ut te amplecterer: inclinavi  
 caput, ut tibi præberem osculum pacis: denique  
 mortuus, ut tu viveres, vulneratus lanceâ, ut te  
 vulnerarē charitate. Habes hic omnium, quæ pas-  
 sus est, compendium, & cur passus est, causas quid  
 post omnia dicam accommodatius ad percipien-  
 dum ex his omnibus fructū, quam cum Eulebio  
 Gallicano: *Magnum quidem est de DEO, quod esse me  
 sentio opus suum, sed multo plus est, quod transisse ipsum  
 video in pretium meum; quandoquidem tam copioso  
 munere ipsa redemptio agitur, ut homo DEVM valere  
 videatur. Scitè hic interrogat, attonitus tanti  
 debiti magnitudine Salvianus: Quid pro se di-  
 gnū Domino repensabit, qui ipsum DEO, à quo  
 redemptus est, DEVM debet? Cave netuus Re-  
 demptor aliquando exprobret tibi illa, quibus  
 Divus Augustinus inducit Christum pecca-  
 torem*

Hom. 6. de  
 Pasch.

Ad Escl. 2.

Serm. 81.  
 19.

tozem alloquentem. Cum essem impassibilis, pro te pati dignatus sum: sed tu despe xisti in homine DEVM, in infirmo salutem, in via reditum, in cruce vitam, in supplicis medicinam. Antequam Filius Dei erat incarnatus, hic mundus erat quasi Probativa piscina; in qua, teste D. Joanne, jacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum. Petit DEUS ab Adamo, idem quod ab illo infirmo Christus: Vis sanus fieri? Respondit Adam infirmus, cum illo infirmo: Hominem non habeo. Quid igitur? ne deesset homo, DEVS homo factus est, & factus est medicus, quia ejus livore sanati sumus, ait D. Petrus. Jam dicit tibi Medicus, quod illi infirmo: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. A planta pedis usque ad verticem capitis non erat in te sanitas. Ecce sanus factus es; cæcus eras, vides, claudus, & ambulas; surdus, & audis; mutus, & loqueris; leprosus, & mundatus es; mortuus, & vivis. Ecce sanus factus es. Quid jam sequitur? Jam noli peccare. Post tot salutis præsidia, post 7. instituta à Christo sacramenta, post tot pro te tolerata tormenta, post tot in te exhibita amoris argumenta, post tot collata in te beneficia, promissa tibi præmia, post tam gravia intentata supplicia, jam noli peccare. Post abolitum peccatum, destructam mortem, devictum dæmonem, apertum æternitatis aditum, jam noli peccare: post fractos ejus oculos, laniatam cutem, laceratos humeros, terebratas manus, contrita ossa, contusos artus, exinanitum omnem sudorem, effusas lachrymas, exhaustum sanguinem, amissam vitam, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat: ne Christi Incarnatio sit animæ tuæ damnatio: ne ipsius passio, sit tua perditio: ne tibi contingat, quod minatur Paulus: Si

Ioan. c. 5.

1. Pet. 2. 24

1. Cor. 15.

quis non amat Dominum nostrum IESVM Christum, sit anathema: quo uno verbo omnia, quæ timeri possunt, est complexus. Sed meliora jubet nos sparare sanguis tuus, ô JESV, pro nobis tam copiosè profusus: ille sanguis cum clamore valido clamat ad justitiam gladium suum vibrantē. quē Adami prævaricatio primò eduxit è vagina: *Mitte gladium tuum in vaginam.* Ille clamat ad Patrem: *Pater dimitte illis: ille clamat ad dæmones: Nolite tangere Christos meos.* Hic sanguis effusus super terram, clamat ad Angelos: *Nolite nocere terra.* Denique ille sanguis, ne perdat mercedem suam, clamat: *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, Venisti enim ut quæres ovem, quæ perierat: dixisti. Filius hominis non venit animas perdere, sed salvare.* Salva ergo nos, quia es Salvator & salus nostra, ut impleatur sermo tuus: *Quos dedisti mihi, non perdisi ex eis quemquam.*

Ioan. 18, 11.

Psal. 104.

15.

Apoç 7, 3.

Psal. 25, 9.

Luc. 9, 59.

Ioan. 18, 6.

## Epilogus tragædia.

**I**dem mihi erit dicendi finis, qui fuit principiū, videlicet IESVS Christus, qui est principium, & finis. Primū accipite totius sacræ tragædiæ succinctam anacephaleosim, ex D. Chrysofomo.

*Pax cæli traditur doli osculo: tenetur tenens omnia: alligatur omnium nexus: ducitur, attrahens universa: à falso veritas accusatur. Sistitur cui assistunt omnia: Iudæi gentibus tradunt; reddunt gentes Iudæis. Herodi mittit Pilatus, remittit Herodes Pilato: sicque commercium fit impietatis, Pietas. Sanctitas in mundinam crudelitate perducitur. Flagellatur remissio: condemnatur Venia: illuditur Majestas: irridetur virtus: perfunditur largitor imbrium sputis: clavis cæli strator affigitur: mel-*

Tom. 3.

Cery. 6.

lis dator cibatur felle. Propinator fontium, potatur aceto: & cum iam nihil restet ex pœnis, mors refugit, mors moratur; quia nihil ibi suum esse sentit. Sic ipse de Christo; Nunc quid Christus ad nos, audite ex Divo Chrysologo.

Nolite timere, Crux hæc non meus, sed mortis est Serm. 208.  
 aculeus: clavi non mihi insigunt dolorem, sed vestram mihi insigunt alius charitatem. Vulnere hæc non educunt gemitus meos, sed magis vos meis visceribus introducunt. Extensio corporis mei vos dilatat in gremium, non meam crescit in pœnam. Sanguis meus non mihi deperit, sed vestrum prærogatur in pretium. Venite ergo, redite, & vel sic probate Patrem, quem videtis pro malis bona, pro injuriis amorem, pro vulneribus tantis tantam reddere charitatem. Tu interim, ô anima! pro qua posuit Christus suam animam, accede ad hoc, quod in medio terræ erectum est theatrum Amoris. Conscende hanc arborem, carpe inde fructus; ne metuas, non obstupescant inde dentes tui, sunt fructus vitæ: erunt igitur dulces gutturi tuo. Contemplare vitam pro te amore mortuam. Vide ut amor lancea aperuit latus, caput spinis, manus & pedes clavis, membra omnia flagellis. Voluit patere omnibus totum Christi corpus, ne lateret membra, quantum Pater dilexerit mundum, qui Filium suum unigenitum, non tantum nobis dedit, sed pro nobis occidit. Ad tantum amoris excessum, stupet ipse amor, imò ipse stupor. Cùm Christus venisset ad monumentum, excitaturus quadriduanum Lazarum à funere, lachrymatus est JESVS: qui circumstantabant Judæi, stupentes tantum Christi in Lazarum amorem, quem lachrymis prodebat, attoniti dicebant: Ecce quomodo amabat eum. Dicite ô dæmones, qui homini invidetis: dicite ô

Angeli, qui homini servitis: dicite procreata omnia, quæ hominis causa estis condita: *Ecce, quomodo amabat eum.* Dum amor clausit os illius, qui prodivit ex ore Altissimi; dum clausit oculos, geminos illos soles, quorum alter terram Gratiæ, alter cælum gloriæ illustrat radiis: dum amor sustulit è corpore animam, illam vitam vitæ nostræ: dum expressit è divinissimis ejus venis, & omnibus membris, quidquid à Spiritu sancto infusum est Sanguinis, jam dicite: *Ecce, quomodo amabat eum.* Dum aperit brachia, ut venientem amplectatur hominem, dum inclinat caput, ut eum osculetur osculo oris sui; dum clavis ita pedes infixit cruci, ut non possit ab ea fugere; dum in meridie amoris cubans, ita amore languet, ut expiret: dicite: *Ecce, quomodo amabat eum.* Petit nunc amor noster pro nobis crucifixus, quod à Petro: *Homo, amas me.* *Ecce quomodo ego amavi te? Tu homo amas me, pro quo ego factus sum homo? homo, cui nunquam nocui, semper benefeci? homo, cui tantum dedi, quantum potui, me, & mea? homo, pro quo tanta pertuli, quanta potui? homo, quem tantum diligo, quantum possum, amas me? Domine, tu omnia nosti, tu scis, quia diligo te.* Et quia diligo, dolui super te, frater mi Jesu, dolui super te, cum doleres tu, gaudium nostrum. Sed nunc quia hyems transit imber abiit, & recessit: quia jam Pater abstersit omnem lachrymã ab oculis tuis, & quia mors ultrã non erit; mors enim ultra tibi non dominabitur, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit ultrã, quia Deus convertit plãctum tuũ in gaudium, & circumdedit te lætitiã: gaudeo super te frater mi Jesu, gaudeo super te, nunc enim partã victoriã, videor audire sub nostris

Ioan. II. 17

ibidem.

stris pedibus in cavernoso illo specu, & subterraneo carcere, in Tartari suburbiis, in limbo Patrū insolentem quendam tumultum: res magna geritur istic: audio confringi vestes ferreos, elevari portas æternales: video, & intersum, & fruor. Progreditur tandem, post diuturnum tot annorū squallorem, cum tota captivorum tuba primus omnium parens Adam: qui videns jam deletum illud decreti contra se scripti chirographū, *morte morieris*. Cruci affixum, suumque diu expectatum Messia mortem moriendo destruxisse, modulatur illo Davidico metro; sibi que ac posteris omnibus gratulatur, dicens, *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me: non moriar, sed vivam*. Christus pro nobis omnibus est mortuus *non moriar*. *Vbi est mors victoria tua? non moriar*. O Christe convoca nunc omnes Angelos, & dic ut Pater prodigi: *Manducemus, & epulemus*, quia *filius meus* (Adam) *mortuus erat, & revixit*. O Angeli, congratulamini jam mihi, quia non moriar, sed vivam. Interim ad te, cujus morte ego vivo, & æternum, ut spero, vivam, me converto. Unum illud per tuam deprecor mortem, ut moriar mihi, vivam tibi. Hæc enim est tua voluntas, hæc una pro robis moriendi causa, quam expressisti verbis servi tui Pauli: *Vt qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est*. Hæc est tua morientis intentio, hic finis est omnium eorum, quæ usq; ad finem vitæ passus es: malorum, ut qui vivunt, jam non sibi vivant; id est, nullus actus propter se, propter commoditatem, propter delectationem, propter honorem perducant; sed omnia cogitata, omnia verba, omnia facta, omne illud tandem quod vivunt ad te referat, qui pro ipsis mortuus es, ac ita sibi mo-

Gen. 2.

Psal 118

1. Cor. 1

55.

Luc. 15

2. Cor.

ti discant, & tibi vivere. Da mihi sic mori, ne moriar; da mihi sic vivere, & tum lætus clamabo cum

*Gal. 20.* Paulo tuo: *Vivo autem, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Hoc si fiat, & ab omnibus fiat, tum demum finem suum obtinebit, & Christus, qui est passus, & homo, propter quem est passus. Denique nulli erit ad exitium, omnibus ad salutem (ut iisdem verbis finiam hanc tragediam, quibus incepti) **PASSIO DOMINI NOSTRI JESV CHRISTI.**

